ORATIO DE VOCATIONE ET DOCTRINA MARTINI LUTHERI DOCTORIS MAGNI ... & OPPOSITA EPICUREAE...

Anton Probus

Digitized by Google

EPIGRAMMA

IN LVTHEROMASTIGA ALBERT. HVNGERVM.

Credo equidem, nec vana fides, vel gloria famæ
HVNGERVM nummi vel maleſuada fames
Impulit, ut calamum contra monumenta LVTHERI
Stringeret, haud frugis ſpe caret ille labor.
Nam quò quis maiora poteſt conuitia linguis
Prodere blaſphemis: hoc mage laudis habet.
Inſuper & pinguis confertur faucibus offa,
Ut facti egregij præmia digna ferat.
Verum ſi te dira fames HVNGERE laceſſit,
Hunc auido bolum gutture ſume tibi.
Peſtis erat viuus, mors mortuus eſt tua Papa
LVTHERVS, rumpas ilia tota licet.

Thomæ Schonfeldij
VVurcinenſis.

REVERENDIS ET CLARISSIMIS VIRIS, PIETATE, ERVditione & virtute excellentibus, Domino Decano, Seniori, Doctoribus & Profeſſoribus Theologicæ facultatis in inclyta Academia Lipſenſi, Dominis & amicis ſuis in Chriſto colendis,

S. D.

INcidimus nuper viri Reuerendi & Clariſſimi in orationem cuiuſdam HVNGERI Ingolſtadienſis: in qua homo iſte viri Dei Lutheri doctrinam impudenter cum Epicuri dogmatibus conferre conatur: in quo priorum Pontificis Romani Gnathonum, Eccij, Cochlei, Staphyli, & ſimilium, ſophiſticandi artem, & calumniandi libidinem longiſſime ſuperare ſtudet. Illi enim in aliquibus doctrinæ partibus, quibus LVTHERVS Pontificis coronam, vel Monachorum ventres, vt ille ait, attingere videretur, ſeſe oppoſuerunt, vt vel Papæ autoritatem defenderent, vel in aliqua apud ipſum æſtimatione hærerent. Iſte verò etſi non poteſt aliquem doctrinæ Articulum, ſaltem cum aliqua ſpecie impugnare aut conuellere, tamen totum corpus allatrare non veretur. Non dubitamus igitur, tàm ineptam & friuolam hominis

impudentiſſimi petulantiam ex ſeſe ruituram, & in fumum abituram. Gratias tamen vobis, ac inprimis tibi Domine Doctor SCHILTERE agimus, quòd in ſpecula conſtituti hominem proteruum inclamatis, & piam iuuentutem contra eiuſmodi calumnias informatis, ac doctrinæ cœleſtis, ſingulari Dei beneficio extremis hiſce temporibus ab idolomanijs Pontificijs repurgatæ, veritatem defenditis. Nos qui in patria S. Lutheri Eccleſiæ Filij Dei ſeruimus, noſtri etiam officij memores, contrà tàm enormem hominis nequiſſimi impudentiam, vocationem & doctrinam Lutheri diuinam eſſe, fundamentis firmis & certis, omnibus oſtendendum eſſe exiſtimauimus. Qua in re collega noſter Reuerendus vir D. M. ANTONIVS PROBVS fidelem & piam operam præſtitit, ac orationem quam communi miniſterij noſtri ſuffragio approbatam, ac in Scola noſtra in frequenti conſeſſu recitatam, ad vos mittimus, conſcripſit. Illam etiam cenſuræ veſtræ & iudicio accurato ſubijcimus, atq; vt publicationem eius iuuetis, amanter petimus. Quòd ſi Hungerus iſte malitioſo ſuo mentiendi ſtudio & calumniandi libidine perrexerit, inueniet, qui ei vt meretur, reſpondebunt, ac verita-

tem

tem cœleſtem & viri Dei Lutheri autoritatem defendent. Æternum patrem Domini noſtri JESV CHRISTI ardentibus votis precamur, vt Satanam in membris ſuis, Hungeris, Ieſuitis, Sacramentarijs & alijs horribiliter furentem, potenter compeſcat, ac Eccleſiam contra ipſos conſoletur & erigat. Illius ſacroſanctæ protectioni vos & nos ac pios omnes veritatis amantes commendamus. Bene valete. Iſlebij calend. Ianuarij Anni 1583. quem iam ingredientem toti Eccleſiæ, reipub. & vobis ac veſtris ſalutarem eſſe optamus.

Superintendens, Decanus, & reliqui in Eccleſia Iſlebienſi & Manſfeldenſi Miniſtri.

ILLVSTRISSIMIS ET GENEROSISSIMIS PRINCIPIBVS ac Dominis, D. FRIDERICO GVILIELMO, & D. IOHANNI, Fratribus germanis, Ducibus Saxoniæ, Landgrauijs Thuringiæ, & Marchionibus Miſniæ: Dominis & Principibus ſuis clementiſs: G. & P. per CHRISTVM.

Gal. 3. Illuſtriſsimi Principes, Domini clementiſsimi: Omninò memorabilis eſt ἐκφώνησις Paulina in Galatas, quos propter ἀποστασίαν à Chriſto ἀνοήτους vocat. Sunt autem propriè ἀνόητοι. qui rem aliquam ſculptam, & viuis coloribus depictam atq; expreſſam ante oculos habent, & tamen faſcino dementati nihil vident, & planè ſunt ſine mente & cogitatione. Hanc ἀνοησίαν in Pontificios noſtros aptiſsimè quadrare, quis non videt? Iure ergò in eos hanc vocem Paulinam vſurpamus: O inſenſati Papiſtæ, quis vos faſcinauit, non obœdire veritati? Neq; huc inconcinnè accommodatur, quod olim Eraſmus ſcripſit in Fabrum
Eraſmus. Viennenſem.

Fronte cares, ſi res agitur tibi ſeria, rurſus
Mente cares, ſi ſic ludis amice Faber.

Etſi enim lux Euangelij clariſsimè hoc ſeculo è tenebris ſplendeſcit, & latiſsimè in toto orbe radios ſuos diffundit: De-
2. Cor. 4. us tamen huius ſeculi ita excœcat incredulorum Papiſtarum ſenſus, ne illuceſcat illis lumen Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. Primùm enim dolo tractant doctrinam Dei, & falſis interpretationibus corrumpunt præcipuos fidei noſtræ articulos, de officio & beneficijs Chriſti Mediatoris, de iuſtificatione, pœnitentia, Sacramentis. Superioribus aliquot annis

Caniſius

Caniſius Ieſuita adfirmauit, Filium Dei pòſt aſcenſionem ad coelos non amplius eſſe Mediatorem & interceſſorem, ſed pòſt id tempus ſanctos mortuos eſſe iam noſtros interceſſores. Bellum ſanè & egregium problema, anilibus fabulis, blaſphemijs & mendacijs Diaboli magis quàm veritati coeleſti conſentaneum. Deinde πανοῦργοι ſunt, quia miris artibus & ſingulari aſtutia, prætextu pietatis, confeſsionis veræ doctrinæ & eius retinendæ & propagandæ, aliorum famæ, vitæ & fortunis inſidiantur. In eo verò imitantur egregiè mores & ingenium Maximi Tyranni, qui Euſebio & Nicephoro teſtibus, non ſolum vi & tormentis Chriſtianos è medio tollere conatus eſt, verùm etiam calumnijs eorum religionem omnibus inuiſam reddere, omnibus modis ſtuduit. Compoſitos & confictos libellos blaſphemiam & maledicentiam omnem ſuperantes, qui interrogationes Pilati & Seruatoris noſtri continerent per omnes imperij ditiones ſpargi iuſsit. Mandatum etiam additum, vt literatores librum iſtum pueris omnibus, in quo vt primis rudimentis ſe exercerent, teneramq; memoriam veneno tali imbuerent, legendum proponerent. Eoſdem perſtringit quoq; Auguſtinus his verbis. Cum ipſam ſcripturæ veritatem criminari aut obſcurare non poſſunt, hos per quos prædicatur veritas in odium inducunt, de quibus effingere quidquid in mentem venit, poſſunt. Vndè iam Apoſtolicæ Prophetiæ tempus inſtare videtur: ERIT TEMPVS IN QVO SANAM DOCTRINAM NON SVBSTINEBVNT. Hæc Auguſtinus.

Caniſius.

Euſeb. lib. 9. cap. 7.

Niceph. lib. 7. cap. 27.

Auguſt. in Epiſt. ad Hipp.

2. Tim. 4.

Ex horum ματαιολόγων καὶ φρεναπατῶν ſpelunca nuper proſilijt ἐκ προαιρέσεως ἐμπαικτὴς, ſanctiſsimi nominis Lutheri inſidiator Hungerus, ἁμάξας βλασφημιῶν in noſtrarum Eccleſiarum Doctores conuehens, & τὴν ἀχάλινον γλῶτταν vibrans. Ille anno ſuperiori admodum monſtroſum edidit ſuæ impietatis partum, in duabus Orationibus Ingolſtadij habitis in publicis Academiæ feſtiuitatibus. Prior eſt de fide ac religione magni illius Athanaſij Alexandrini Iureconſulti & Theologi eximij. In ea tantùm hoc agit Sycophanta maledicus, vt autoritatem Eccleſiæ Romanæ & Conciliorum defendat, noſtroſq;

Doctores quos inuiſo atq; odioſo nomine Nouatores appel-
lat, toti orbi Chriſtianorum ſuſpectos,ſordeſcere faciat. In ea
horrendam idolomaniam Eccleſiæ Pontificiæ & turpiſsimos
abuſus ex orco quaſi in theatrum reducit. & á noſtris iamdu-
dúm protritas nænias,erigere ac ſuffulcire conatur. In ea non
tâm ad fundamentum veritatis,quod verbum Dei eſt,quâm ad
autoritatem Papæ & Conciliorum reſpicit. Quos Syrenum
cantus,quibus homines rerum imperiti ineſcantur, Deo dante
Sex gradus collationis Theologiæ Luth. cum Philoſophia Epicuri. & Spiritum ſuum largiente, breui refellam in Oratione de S.
Athanaſio, huius μωροσόφου Hungeri μωρολογίαις ex Diametro
oppoſita, in qua ipſius ſophiſticam adeó reddam conſpicuam,
vt in externos ſenſus,oculos & aures incurſura ſit. Altera de
homologia ſiue conſenſu concentuq; Theologiæ Lutheri cum
Philoſophia Epicuri. In ea ſex gradus collationis conſtituit
I. nefarius ille impietatis & mendaciorum caupo.Primus : Quód
II. Lutherus non minus quám Epicurus ἄθεος fuerit. Secundus:
Quód quam proximé repræſentet Epicurum, ruditate & ho-
ſtili odio literatorum Philoſophorum, & ὑπερβολικῇ doctrinæ
III. ſuæ commendatione. Tertius : Quod ex confuſione ordinis
Hierarchici natus,Epicuri inſtar confuſionis horrendæ in Ec-
cleſia autor fuerit, & ſcripta plena confuſione, labyrinthis &
errore inextricabili,immó etiam ἀντιλογίαις ſeu contradictio-
nibus ediderit. Quartus : Quód ex teterrimis & graui iudicio
IIII. Eccleſiæ damnatis hæreſibus, Manetis, Arrij, Aetij, Eunomij,
Vigilantij, Iouiniani, Vicleſi, ſuam conſarcinârit Theologiam
Lutherus,vt Epicurus ſuam Philoſophiam ex ineptiſsimis Phi-
V. loſophorum placitis & erroribus obſoletis. Quintus : Quod
Epicuri inſtar fauorem vulgi ſit aucupatus, ipſius applauſerit
temeritati & inſolentiæ, laxauerit frenos licentiæ, confirmârit
ſecuritatem carnis, Magiſtratum politicum contumelia adfe-
cerit,leges ſanctiſsimas abrogauerit, earum interpretes conui-
VI. tijs proſciderit. Sextus :Quód Patronus extiterit voluptatum
corporis,& fœdarum libidinum,deriſerit vota Monaſtica ſiue
virginitatis. Hæc præcipua ſunt collationis capita.

At

At vos, Principes illuſtriſsimi, ſaltem hîc quæſo videte Hungerum Ingolſtadienſem, ô Scurram leuiſsimum, ô Lenonem impuriſsimum, ô Blateronem impudentiſsimum, ô Sophiſtam impijſsimum, ô ἁρμοστὴν ineptiſsimum, ad concinnandum tàm aptum, quàm aſinus ad temperandam lyram, quàm graculus ad fides, quàm ſus ad tubam, quàm canis ad balneum. Quæ enim eſt ὁμολογία Theologiæ Lutheri, cum Philoſophia Epicuri? Quin potius δύσφωνα ſunt, & in ſummo gradu ſibi inuicem contraria, vt lux & tenebræ, vt calidum & frigidum, vt album & nigrum, vt Deus & diabolus, vt Chriſtus & Belial, vt cœlum & infernus, vt ignis & aqua, vt ſapientia & ſtultitia. Non ergò hanc τερατολογίαν, bonum ſpiritum ἐμμελείας amantem, ſed ipſiſsimum diabolum συγχύσεως autorem Hungeri cordi ſuggeſsiſſe, & ori dictaſſe, certum eſt. Quis nunc quæſo tàm mente & oculis captus eſt, vt non videat σοφιστομανίαν, & credat ſpiritui tàm blaſphemo? Quis neget quin aliquando ſenſurus ſit conſcientiam in corde ſuo concionantem Hungerus? Quemadmodùm diuinum Spiritus ſancti organon Lutherus noſter, miſero Doctori Hallenſi Cruſio accidiſſe refert, quòd dixerit: Ego negaui Chriſtum, ideò iam ſtat coram patre, & accuſat me. Illam cogitationem præſtigijs Diaboli captus tàm fortiter conceperat, vt nulla adhortatione aut conſolatione, nullis diuinis promiſsionibus pateretur eam ſibi excuti, atq; ita deſperauit, & ſeipſum miſerrimè occidit. Hoc Dei iuſtum & horrendum iudicium certè non ſubterfugiet aliquandò Lucianus hic noſter inſignis, niſi toto pectore ad Deum conuerſus pœnitentiam egerit ab impietate ſua. Nouit Hungerus Legum ciuilium autoritate, actori probationem incumbere: ſed quàm egregijs, quàm firmis rationibus, quibus fundamentis ſtatum cauſsæ probet, Theologiam Lutheri eſſe Philoſophiam Epicuri, omnibus pijs mentibus iudicandum relinquo. Quàm igitur elumbis hic Theologus, & Iureconſultus ineptus & inſulſus abſimilis eſt calumniatori? de quo Ioannes Zonaras refert, quòd coram Iuliano peculatus reum qui crimen negabat accuſauerit: τίς ἔφη βασιλεῦ ἐπ' ἐγκλήμασι δίκην

Tom. 4. Ien. lat. ad Gala. cap. 3.

Ioan. zonar. annal. Tom. 3. fol. 21.

δίκην ὑπόσχῃ, εἰ δὲ ἀρνήσεως ὠφελοῖντο οἱ αἰτιώμενοι. Quis illius criminis pœnas dabit, ſi reo inficias ire proderit? Cui reſpondit Iulianus: καὶ τίς ἔσται ἀναίτιος, εἰ ἐλέγχων ἄνευ πιστεύοιντο οἱ κατήγοροι, Et quis inſons erit, ſi accuſatori crimine non probato fides habeatur? Quis quæſo hîc non videt, Iulianum Apoſtatam alioquin inſignem tyrannum, hac in parte meliorem eſſe Hungero? Hic enim damnare non vult, niſi crimine probato: ille omninò Lutherum & noſtros vult anathematizatos etiam crimine nondùm probato.

Iſti ergò Calumniatori, multa dicenti & pauca probanti, Oratione contraria in occurſum tendendum eſſe cenſui, & doctrinam & innocentiam Lutheri à calumnijs huius Spermologi vindicandam. Sed quia vir reuerendus & clariſſimus, rerum theologicarum, linguarum & artium cognitioue eximius

D. Zachar. Schilter.

D. ZACHARIAS SCHILTERVS, ſacroſanctæ & ſincerioris Theologiæ Doctor, Profeſſor & Procancellarius Academiæ Lipſenſis, Dominus, amicus, & in Chriſto nobis frater colendus, admodùm pia, graui & erudita Apologia, pro Lutheri autoritate defendenda, in ſpecie ad ſex collationis gradus HVNGERI Epicuri effreni loquacitate inſignis reſpondit, & os impudens pro vt meretur compeſcuit: ego nullas in hac oratione partes mihi ſumpſi alias, quàm vt diſſererem de vocatione & doctrina Lutheri cœleſti & diuina, aduerſus blaſphemum & mendacem Hungeri ſpiritum, & Lutheri Theologiam, non Epicuri philoſophiam, vt ille impudenter ſcribit, ſed Spiritus ſancti doctrinam, cœleſtem & immotam veritatem eſſe, oſtenderem.

Cum enim deeſſet mihi exemplar Orationum Hungeri, quarum tantùm ἐπιγραφὴν in Catalogo Francofordenſium nundinarum vernalium, anni ſuperioris LXXXII. obiter inſpexeram, nec vel Francoforto vel Lipſia harum mihi copia fieri poſſet, arbitrabar interim non abs re futurum, ſi donec exemplar

exemplar impreſſum alicubi acciperem,(quod paulò pòſt non grauatè D. Doctor Schilterus mihi communicauit) contra ſcopum Orationum Hungerianarum, hanc meam dirigerem.

In prima autem Orationis meæ parte cauſſas huius mei inſtituti ſiue propoſiti thematis expoſui, quæ ſunt præcipuæ, Diuerſitas nimirum iudiciorum & ſententiarum de conſilio Lutheri repurgationem doctrinæ aggreſsi: Pontificiorum item tyrannis, quam exercuerunt hactenus in Eccleſia Dei, blaſphemiæ, mendacia & conuitia horrenda, apoſtaſia multorum à vera doctrina ad impium Papatum: Fanaticorum denique & falſorum fratrum hoc noſtro ſeculo corruptiſsimo peruerſa & ſiniſtra de Lutheri doctrina iudicia. In altera pertexui argumenta quædam confirmationis, quòd Lutherus vocatione & autoritate diuina Antichriſti regnum oppugnare cœperit. Et primum argumentum ſumpſi ab autoritate ſcripturæ ſanctæ, quæ quaſi digito monſtrat & viuis coloribus Antichriſti Romani regnum depingit. Secundum, ab euentu Vaticiniorum aliquot, piæ, puræ, & orthodoxæ antiquitatis, de Eccleſia Dei ab erroribus repurganda. Fuerunt enim etiam antè noſtrum ſeculum ſemper aliquot pia & ſancta pectora, quæ cum publicè non auderent ſuum ſpiritum & ſenſum profiteri, tamē in angulis ſuis, vt erat tunc eccleſia in deſertum pulſa per draconem (vt Apoc. dicit) ſuum dolorem exſtillauerunt & viſitationis diem ſuſpirârunt. Tertium, ab vtili & neceſſario. Omninò enim Deus voluit lucem doctrinæ Ægyptiacis ac verè Cymmerijs tenebris oppreſſam & ſubter modium poſitam reaccendere, & in tenebris lucere. Quartum, à ſignis præſentiæ & efficaciæ ſpiritus ſancti in Luthero infallibilibus. Nā Devs hunc virum peculiaribus & heroicis donis multis, præ mille alijs inſtructum eſſe voluit atque armatum. Quintum, à curſu, propagatione, & conſeruatione Euangelij per Lutherum repurgati contra hoſtes admiranda. Sextum, ab exitu Lutheri pio, placido & tranquillo, ex hac ærumnoſa & mortali

σύνοψις orationis de vocatione & doctrina Lutheri.

Argumenta confirmationis. I. II. III. IIII. V. VI.

talí vita, quem DEVS in ſinum Abrahæ receptum, ad patres collegit. Hæc quaſi σύνοψις eſt orationis meæ, in qua ſatis me iudicio omnium bonorum & rectè ſentientium, demonſtraſſe & protaſſe exiſtimo, LVTHERVM non ex fortuito quodam carnis adfectu, ſed Spiritus ſancti impulſu & DEI voluntate coronam Papæ tricipitem eſſe adgreſſum.

Veſtris verò Celſitudinibus, Illuſtriſsimi & generoſiſsimi Principes, Domini clementiſsimi, iſtam meam opellam, vrgentibus eius editionem multis pijs paſtoribus & ſcolaſticis, propter probabiles rationes publicè inſcribere & dedicare mihi viſum eſt. Primùm: Quod ſciam V. C. laudatiſsimos maiores, FRIDERICVM, IOHANNEM, & auum IOHANNEM FRIDERICVM, ſacri Rom. Imp. VIIviros, & Patrem illuſtriſsimum, Heroa fortiſsimum, ſanctæ & immortalis memoriæ, IOHANNEM GVILIELMVM, pro innocentia LVTHERI defendenda, quam ſubinde mordaciſsimi Papiſtæ calumnijs opprimere ſunt conati, tanquàm pro aris & focis, non ſine vitæ & fortunarum periculo acerrimè pugnaſſe. Deinde quòd omninò confidam, V. C. feliciter ingreſſuras veſtigia Parentis, τοῦ εὐσεβεστάτου, εὐγλωττοτάτου, πολεμικωτάτου δὲ καὶ μετριωτάτου Principis, Ducis Saxoniæ omni laude digniſsimi, patriæ patris ſanctiſsimi, qui fidele depoſitum LVTHERI tanquàm maximum Eccleſiæ ſecundùm ſcripta Prophetica & Apoſtolica theſaurum, non ſolùm amplexus & conſtanter profeſſus eſt ipſe, ſed etiam in Eccleſijs & Academia Ducatus ſui, ſonare ac propagari voluit, Papiſtarum humanis traditionibus fermentatam Theologiam ex animo execrans & deteſtans. Poſtremùm, quòd in optimam ſpem erigar, V. C. nomen vt illuſtriſſimum ita & ampliſsimum, huic meæ Narrationi de vocatione & doctrina LVTHERI cœleſti & diuina, ad ſubuertendum impium papatum, ex fontibus Iſraëlis, ſcriptis LVTHERI & hiſtorijs fide dignis contextæ præfixum, multis Pontificijs, & inprimis impudentiſsimo HVNGERO, nugatori nugaciſsimo, cui hoc ſcripto reſpondetur, timori fore & terrori, vt deinceps

ceps à tàm horrendis & verè Diabolicis blaſphemijs, ſibi moderentur & abſtineant, & pudore ſuffundantur, ſi adhuc mica aliqua pudoris & verecundiæ eſt in ipſis ſuperſtes.

Filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, regat C. V. ſuo ſancto Spiritu, & inprimis tuo illuſtriſsime Princeps, Domine FRIDERICE GVILIELME, Princeps ac Domine clementiſsime, benedicat coniugio, & ſuſceptæ gubernationi, & faciat te cum illuſtriſsimo Fratre D. IOHANNE, organon Eccleſiæ & reipub. ſalutare. Amen. Datæ ISLEBII in patria ſancti LVTHERI, Anno 1583. Die Concordiæ 18. Februarij, quo LVTHERVS repurgator cœleſtis doctrinæ, piè & placidè in Domino obdormiuit hîc ISLEBII anno 1546. ante annos abhinc XXXVII.

V. C.

Summiſsè & reuerenter colens.

M. Antonius Probus, Paſtor Islebij ad S. Nicolaum.

REVERENDIS ET CLA-RISSIMIS VIRIS D. SVPERINTEN-denti, Decanis, Paſtoribus, Miniſtris verbi, Rectoribus & Collegis Scolarum, vniuerſæ Eccleſiæ Chriſti, in inclyto Comitatu Mansfeldenſi congregatæ, & piæ iuuentuti in Scola Islebiana.

S. D.

FAlſam Eccleſiam graphicè depingit ſpiritus ſanctus per organum ſuum Dauidem Prophetam Regium, Pſalmo 58. in quo deſcribit malitiam eorum, qui Saulem contra ſe inſtigabant, vt non tàm leo ex vnguibus, quàm illa ex ſuis notis & proprietatibus ab omnibus pietatem religioſè colentibus, cognoſci poſsit. Primùm obijcit illis iniuſtitiam, iniquitatem cordis, & calumniam inſontium, qua paſſim in tota regni ditione immeritos premebant ſub ſplendido prætextu iudicij & iuſtitiæ, cùm potius officij ratio poſtularet quod iuſtum eſt & rectum iudicare ac loqui. Quemadmodum enim libræ ſiue trutinæ vſus, non iniquitati ſed æquitati ſeruire debet: ita iudicantium partes ſunt, inſonti non appendere calumniam, ſed æqua lance trutinare, & & quod veritati conſentaneum eſt decernere. Deinde accuſat eoſdem Zelo flagrantiſsimo, quòd ab ineunte ætate ſingularem prauitatem malitioſi ac ſubdoli ingenij prodant, alieni à vera DEI eccleſia, affectibus & moribus, omniq́; φιλαδελφίας deſtituti. Poſtremò, quod omnium eſt peſsimum, exprobrat ipſis, tantam pertinaciam & obſtinationem, quòd,

vt Petrus inquit, inceſſabiles ſint delicto, nullis admonitionibus emendari & à malitia reuocari poſſint, imò ſalutarem admonitionem non admittant, ſed vt aſpides ſurdæ obturent aures ſuas, & naturam ſerpentinam retineant, aures habentes & non audientes, os habentes, & non loquentes, muti non ſecundùm Grammaticam, ſed Dialecticè ſecundùm ſubiectam materiam, vt in Scolis loquimur. Vt enim ſerpentes cum veneno naſcuntur, prouehuntur & aluntur, ablato verò veneno vniuerſa pariter & vita & facultas ipſis adimitur, & piſces adempta aqua nec natare nec ſpirare poſſunt: Ita ſi huic flagitioſo hominum generi malitiam & calumnias abſtuleris, quibus veluti venenato aculeo pungunt ac mordent innocentes, omni ipſos πανοπλία ſpoliaueris. Ex hac Prophetica impiorum deſcriptione quid colligemus aliud, quàm certiſsima indicia animi impij & ſerpentini in eccleſia Pontificia? In eo enim omnes omnium congruunt ſententiæ, vt Chriſtum in ſuis membris perſequantur & explodant è toto Romano imperio, omnes ſanguinem piorum innocentem ſitiunt, ad iniuſtas perſecutiones conniuent, tyrannidem & idolomaniam Pontificiam approbant, doctrinam cœleſtem per Lutherum repurgatam, horrendis conuitijs proſcindunt, ad veritatis vocem, inſtar Phariſæorum, Scribarum & Sacerdotum tempore Chriſti, aures obſtruunt.

Quia igitur hiſce poſtremis temporibus maximè cum ſuis emiſſarijs aduerſus Eccleſias noſtras debacchatur Satan, & officio noſtro nos deeſſe non decet, ſed quantùm in nobis eſt, hoſtium calumnias

retun-

retundere, qui diuinitus in hanc Mansfelticam Sareptulam collocati ſumus: decreui pro more Scolæ noſtræ aliquid publicè diſſerere, de vocatione D. MARTINI LVTHERI cœleſti & diuina, ad euertendum Papatum, & doctrinam puriorem inſtaurandam. Primùm, vt videant piæ mentes, quàm iniuſtis modis à Pontificijs hypocritis, doctrina, vocatio, & perſona Lutheri proſcindatur. Deinde, ne deſiſtamus cœleſtem & immotam veritatem aduerſarijs occinere, contradicentes arguere, hæreticos pòſt vnam & alteram admonitionem fugere, iuxta præceptum Pauli Tit. 1. & 3. & Nazianzeni regulam, Orat. 1. de pace: Eos tanquàm veritatis peſtem quantum fieri poteſt, ſuſcipiamus & curemus: Qui verò inſanabiles ſunt, illos refugiamus, ne & nos morbi contagione priùſquàm ſanitati ſuæ reſtituti fuerint, inficiamur. Denique vt hac vtili & neceſſaria commonefactione ſimul pijs mentibus in memoriam reuocetur, quòd Deus ſingulari bonitate hoc ipſo tempore per Lutherum repurgationis doctrinæ initium fieri voluerit. Obnixè autem oro, & amanter inuito Reuerendos, clariſsimos, & doctiſsimos viros, Dominos, Collegas, & in CHRISTO fratres obſeruandos, vt II. Nouembr. die Veneris proximè ſequente feſtum omnium Sanctorum ſtatim pòſt finitam in templo S. Andreæ concionem, in Scolæ noſtræ auditorio ſuperiore conueniant, hanc Scolaſticam feſtiuitatem, in laudem & gloriam DEI, odium Diaboli & Papæ, & beatam memoriam LVTHERI, ſua præſentia ornent, λόγον πανηγυρικὸν benignè audiant, DEO pro beneficio reuelati verbi gratias agant, & pro conſerua-

ſeruatione fidelisſimi huius depoſiti nobiſcum ardenter orent. P. P. ISLEBII, Anno M. D. LXXXII. die XXXI. Octobr. in vigilia omnium Sanctorum, quo ante annos LXV. LVTHERVS indulgentias impudentisſimi Tecelij primùm impugnauit, & doctrinam de pœnitentia ab inquinamentis Papiſticis repurgauit.

M. Antonius Probus, Paſtor ad S. Nicolaum.

ORATIO DE VOCATIO-
NE ET DOCTRINA LVTHERI,
cœleſti & diuina.

Exordium à tempore.

SVmmum & maximum beneficium, quod mundo ſeneſcenti antè aduentum Filÿ ſui ad iudicium DEVS clementiſsimus exhibere voluit, ſingulis nobis in memoriam reuocare debet tempus præſens, quo nimirum per electum organon LVTHERVM, magnum illum Germaniæ Prophetam, & poſtremæ ætatis Heliam poſtremum, hîc Islebÿ ante annos nonaginta nouem natum, & in templo Diui Petri ſacro Baptiſmatis fonti intinctum, doctrinam Chriſtianam idolomania pontificia obliteratam, ex tenebris Cymmerÿs in lucem reduxit & repurgauit. Id accidit antè annos ſexaginta quinqꝫ, in vigilia omnium Sanctorum, die Octobris triceſimo primo, anno ſalutis per Chriſtum partæ, milleſimo, quingenteſimo, decimo ſeptimo, cum Lutherus diuino ſpiritu incitatus, contra impudentiſsimum indulgentiarum Papalium Nundinatorem Tecelium Monachum publicè in arce Vitebergenſi ad valuas templi propoſitiones adfigeret, numero nonaginta quinqꝫ, quibus putida Monachi mendacia & blaſphemias, turpiter totam Germaniam naſo ſuſpendentis, & argento non ſine ingenti ſalutis æternæ iactura emungentis, refutabat, adferens ex fundamentis fontium Iſraëlis, remiſsionem peccatorum non pecunia, ſed ſolius Chriſti merito fide appræhenſo acquirendam. Hæc prima fuit Lutheri σύῤῥαξις cum Babylonica Thisbe, totum terrarum orbem

orbem ambagibus ſinuoſis & inextricabili menda-
ciorum ac blaſphemiarum Labyrintho inuoluen-
te. Quemadmodum enim populo Iſraël longo tem-
pore fatiſcenti ſub intolerabili ſeruitutis pondere
in regno Ægypti, & à vero D E O deſciſcenti, ac
vtroq; pede ad turpem idolomaniam tranſeunti,
D E V S Moyſen & Aaronem miſit, qui populum, *Exod. 13.*
ex immenſo ac vaſto cultuum ethnicorum pelago
liberarent, & ad veri D E I ſui agnitionem reuoca-
rent: ita ille ipſe D E V S, cuius manus nondum eſt
abbreuiata, Germaniæ communi noſtræ patriæ, *Eſa. 59.*
craſsiſsimis erroribus & mendacÿs Thaidis Ro-
manæ implicitæ, horribilibus tenebris inuolutæ, à
Chriſto Sole iuſtitiæ abductæ, traditionibus huma-
nis oppreſſæ, ac penitus ab infernali Cerbero ab-
ſorptæ, magnum illum Daduchum, Moyſen & Pro-
phetam L V T H E R V M miſit, cuius miniſterio
ſalutari Eccleſiæ noſtræ ſunt reformatæ, & ab illa
dura ſeruitute & captiuitate Babylonica liberatæ.

Hoc ſummum D E I beneficium agnoſcere, &
gratis pectoribus celebrare nos decet, quòd ex tur
bido & carectoſo errorum Oceano ad limpidiſ-
ſimos fontes Iſraëlis reducti ſumus, & inprimis
quòd D E V S ex hac noſtra Sarepta Mansfeltica
Islebio ἀντιχριστοφονευτὴν, καὶ τὸμ ἐκκλησίας ἄγγελομ, μεγά-
λην σάλπιγγα τῆς ἀληθείας καὶ φωστῆρα οἰκουμένης, vt Euſebius
& Nazianzenus de magno Athanaſio loquuntur,
excitauit, & per eum ſpiritu oris Chriſti, virtute ac
potentia verbi diuini, hominem peccati, filium per-
ditionis, fidei & libertatis Chriſtianæ hoſtem, por-
tentoſum illum diuerſarum facierum Regem, Pa-
pam Romanum reuelauit, confudit, confecit. Ore-

 mus

mus etiam Dominum, vt qui Lutherum ſpiritu & virtute Heliæ inſtructum armauit animo planè heroico atque inuicto, ad ſubuertendum Papatum, eundemque aduerſus tot hoſtium, Pontificum, Regum, Principum, Cardinalium, Epiſcoporum, Academiarum, Monachorũ, Sacrificulorum, conantium opprimere veram doctrinam, phalangas benignè protexit, excitet & ſeruet ſibi ſemen, quod bona fide præclarum Lutheri depoſitum propugnet, & acriter belluæ iſtius infernalis, tot animos perdentis & gehennæ tradentis, præſtigĳs ac blaſphemĳs, diuino zelo & feruore ad vindicandam DEI gloriam, ſeſe opponat.

Quia autem conſuetudine tralatitia, & illa quidem pia, laudabili ac honeſta, in hac Scola πανήγυρις quolibet die poſt ſingulorum menſium calendas celebrari ſolet, quæ non ludi ſcenici Ethnico more agitantur, ſed de aliqua doctrinæ Chriſtianæ parte verba fiunt, & poteſtas mihi data eſt à Reuerendo & clariſsimo Viro, D. Hieronymo Mencelio, Comitatus Mansfeldenſis Superintendente optimè merito, hanc Cathedram conſcendendi hodierno die, argumentum auditoribus proponam tale, quod præſens tempus in manus nobis tradit, & non abs re & emolumento iuuentutis Scolaſticæ futurum

Propoſitio. confido. Et dicam dè Lutheri vocatione & doctrina cæleſti & diuina, ad ſubuertendum impium Papatum, & doctrinam ſynceriorem repurgandam. Videor autem mihi rationes huius mei inſtituti habere pias, iuſtas, graues, & ſufficientes, vndè me non arrogantia quadam, aut oſtentandi ingenĳ gloriola impulſum has dicendi partes ſumſiſſe, omnibus pĳs *Cauſſa inſtitutæ huius orationis.*

menti-

mentibus liquidò conſtabit. Nec quenquàm in hoc cœtu publico & conſeſſu honeſtiſsimo, cuius æquanimitate & autoritate ſuffultus in hanc arenam deſcendi, tàm mihi iniquum fore confido, qui fortè exiſtimaturus ſit, ſuperuacaneum eſſe de rebus verba facere luce meridiana clarioribus, Lutheri enim vocationem ſatis copioſè eſſe demonſtratam, Pontificios ſuperfluè commonefactos, confutatos, reuictos: vel recoquere me velle κράμβην δίσεφθον, & iliada poſt Homerum ſcribendo omnium ludibrio me exponere & deridendum propinare. Scio equidem, hiſtoriam de vita & actis Lutheri, à Philippo Melanthone, Iohanne Matheſio, Ludouico Rabo, Theologo Vlmenſi in Martyrologio, Dauide Chytræo in hiſtoria confeſsionis Auguſtanæ, Nicolao Selneccero, diligenter deſcriptam in omnium manibus eſſe: Et collegam noſtrum venerandum M. Conradum Portam hoc ipſo die antè annos duodecim ex hac ipſa cathedra orationem in publico extantem de adſidua lectione Scriptorum Lutheri habuiſſe: & Reuerendum virum, M. Chriſtophorum Stauffenbul antè triennium hoc eodem loco de beneficijs Lutheri & ingratitudine mundi diſſeruiſſe. Non igitur cum mihi finem in hac oratione propoſui, quòd temerario quodam auſu falcem meam in meſſem alienam mittere, vel inanibus verborum ampullis obſtrepere, & auribus veſtris viri reuerendi, clariſsimi & doctiſsimi, adoleſcentesq́; optimi, moleſtiam exhibere velim, cum ſciam, ſæpius iterata delicatis facilè faſtidium parere, quamuis quod per ſe præclarum & vel decies repetitum, bonorum etiam calculo approbari ſoleat. Quapropter æquo animo

Vita Lutheri à quibus deſcripta.

Oratio de ſcriptis Lutheri.

Oratio de beneficijs Lutheri & ingratitudine mundi.

quæſo attendite,& quibus de cauſsis motus hoc argumentum potiſsimùm elegerim, paucis ſuper hac re meam accipite ſententiam.

Cogitanti mihi, an Lutherus proprio quodam inſtinctu, max. gloriæ cupiditate accenſus, tantum Pontifici Romano indixerit bellum: an verò cœleſti & ſuperna quadam luce illuſtratus, & motu incitatus diuino, noticiam Filij Dei Ieſu Chriſti mundo patefecerit, & Antichriſti idolomaniam reuelârit, varia ſeſe, pro vt mundus beſtia eſt multorum capitum, iudiciorum & opinionum ſpectra produnt.

1. *Diuerſitas iudiciorum & ſententiarum de conſilio Lutheri.* Initiò tempore reuelandi Euangelij, cum primus ille tumultus iam quaſi gliſceret, fuerunt homines pij & boni, qui quidem olfacientes, doctrinam pontificiam multis fœtentibus errorum & ſuperſtitionum lacunis ſcatere, & tamen metuentes potentiam & autoritatem ſatellitum Romanæ curiæ, non mutire nec hiſcere contra peruerſos hominum iſtorum mores auſi ſunt, exiſtimantes carnis quadam imbecillitate præoccupati, arcem illam Thaidis Babylonicæ, vndè tanquàm ex equo Troiano ſubinde noui milites prodirent, vnius homuncionis viribus expugnari nequaquàm poſſe, non intelligentes, quòd virtus Dei in infirmitate perficiatur, & Deum poſſe excellenter facere ſuprà quàm petimus & intelligimus. *2. Cor. 12. Epheſ. 3.* Albertus Crantzius S. Theologiæ & Decretorum Doctor Eccleſiæ Hamburgenſis Canonicus, conqueſtus aliquoties de tyrannide, erroribus & abuſibus Eccleſiæ Romanæ, & interrogatus, cur ipſe tàm craſsis erroribus non reſiſteret, reſpondit, ſe tàm arduo negotio neque eruditione neque ætate parem eſſe, neque vnius hominis ingenium ad *D. Albertus Crantzius, in præfatione Eccleſiaſtica hiſtoriæ ſiue Metropolis.*

res

res tantas ſufficere, niſi diuinitus iuuetur. Et antē agonem legens propoſitiones Lutheri contra indulgentias, quaſi deſperabundus de tantæ rei ſucceſſu dixiſſe fertur: nihil eum effecturum eſſe, contra tàm potentes aduerſarios, ſuum eſſe conſilium, vt ab incepto deſiſtat: Frater, frater, inquit, abi in cellam, & dic, miſerere mei Deus, Sic iudicat ratio de operibus diuinis. Econtra ſtatuendum, quod conſilia Dei ſint mira, & effectus magnifici. Non ſunt cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neq; viæ veſtræ viæ meæ, dicit Dominus; quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Non igitur ſine Dei conſilio & voluntate Lutherum tantas res adgreſſum, ipſe euentus comprobauit. Fuit enim ipſius miniſterium ſalutare, egit triumphum & reportauit victoriam omnibus Alexandri & Iulij triumphis anteponendam, Duce & auſpice Deo, qui benedictus eſt in ſecula.

Idem iudicium Epiſcopi Brandeburgenſis vide Tom. 7. Ien. ſecunda edit. fol 423 a.

Iſa. 28.

Iſa. 55.

Deinde cogitent quæſo ſinguli, quibus animus eſt pius & apertus, nulla ſtimulatione tectus aut arte coloratus, quantum dedecus ſit & piaculum, aduerſariorum in ſpiritum ſanctum blaſphemias, conuitia, calumnias, mendacia atrocia & manifeſta, à patre ipſorum Diabolo mendace & homicida cordi & ori eorum inſpirata atq; dictata, ſurdis auribus præterire, & ſilentio impio confirmare. Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne videatur ſibi ſapere, inquit Salomon. Profectò ſi nos ad tàm horrendas Pontificiorum Satellitum blaſphemias, ad quas ipſa maieſtas diuina, cœlum, terra, omnes Angeli, ſancti & electi, adeoq; vniuerſa rerum natura inge-

II. *Pontificiorum tyrannis, blaſphemia, mendacia, conuitia & apoſtaſia.*

Prouerb. 26.

ingemiſcit atq; obſtupeſcit, tacebimus, ipſi lapides clamabunt, ipſæ arbores loquentur, & in extremo iudicio coram tribunali Dei propter deteſtandam ſocordiam, quòd vigilantibus hoſtibus nos lethargo quaſi profundiſsimo immerſi Epimenideum ſomnum dormiuerimus, grauiſsimè accuſabunt. Quidam lenonum ſpurij Romano in fornice nati, indigni hominis vocabulo, abſterſo omni à vultu pudore, adeò frontem perfricuerunt, vt audacter & impudenter mentiri non vereantur, Lutherum ex fœdo & illegitimo concubitu originem traxiſſe, cum toti Germaniæ & inprimis huic Mansfeldenſi Comitatui conſtet, eum legitimo coniugio ex pijs, honeſtis, ſanctitate vitæ & morum commendatis, nec vllis manifeſtis criminibus obnoxijs parentibus natum. Sed quid à turpiſsimis & ſceleratiſsimis Romani ſterquilinij raſis & ſempiternis infamiæ notis adſperſis beſtijs aliud nobis expectandum erat? Si mentiris, inquit Chryſippus, etiam quod verum dicis mentiris. Et mendaces hoc lucrari ſolent, vt cum vera dixerint, eis fides non habeatur. Increpet igitur te Dominus Satan cum iſto tuo turpi & aperto mendacio. Nec vitam ſolùm ſed & doctrinam Lutheri quam amplectuntur Eccleſiæ noſtræ, ſpiritus Papiſticus mendax & impurus cum deplorato profligatoq; Suitarum genere, impudentia plus quàm canina, audacia plus quàm diabolica, horrendis vlulatibus allatrat, eaſq; illi ſordium maculas aſpergere conatur, quas nulla dies eluat. Notum eſt omnibus quàm immani & inaudita crudelitate Pontificij viri ſanguinum & doloſi ſanguinem Abelis iuſti & innocentis ſitiant, nec

eo ingluuiem ſuam replere & exſatiare poſsint. Lutherum viuum, clamitarunt aliquoties, quoquo iure, quaue iniuria, ſiue igni ſiue ferro, vt Hæreſiarcham peſsimum omnium qui ſunt, fuerunt, aut futuri ſunt, tollendum, perſequendum, extorrem è toto Romano imperio eñciendum, ipſius ſcripta igne exurenda, & ex hominum memoria extirpanda, id quod Inquiſitores hæreticæ prauitatis factitârunt ſæpe, ſed fruſtra. In aula Caroli V. Monachus fuit effrenis, qui vociferari ſolitus eſt, Cæſarem non fore felicem, niſi in ſanguine Lutheranorum brachia ſua lauaret. In Comitñs Auguſtanis dixit quidam princeps pontificius, Lutheranos quoſdam nuper exhibuiſſe Cæſari confeſsionem ſcriptam atramento, ſe verò, ſi Imperator eſſet, adornaturum confutationem rubrica ſcriptam; Quod audiens alius quidam Princeps, reſpondit, quòd ſi tale quippiam tentet Cæſar, periculum eſſe, ne ipſi rubrica in faciem inſiliat. Eiuſdem farinæ hodiè ſunt Iebuſitæ turpiſsimi ſanguinariæ Eccleſiæ patroni, pontificiarum turpitudinum buccinatores egregñ, vt ſimiles habeant labra lactucas, qui antiqua papatus ſomnia ab orco & ſtygia palude reuocant, infinitis calumnñs Euangelñ doctrinam deformant atq; conſpurcant, Magiſtratus contra noſtras Eccleſias concitant, paſquillis & vocibus cruentis claſsicum canunt ad ſeditiones, halcyonia quæ DEVS ineffabili bonitate Germaniæ hactenus largitus eſt, non ſolùm inuident hi maligni ſpiritus, ſed armorum terrore, barbarie & furore diabolico diſsipare & ſubuertere conantur. Auguſtæ in Comitñs proximis poetaſter quidam quem Ieſui-

Tom. 5. Ien. fol. 33. b. ſecundæ editionis.
Tom. 2. Isle. fol. 131. b.

D tam

tam fuiſſe autumant, publicè in plateis hos verſus ſparſit:

Vtere iure tuo Cæſar, ſocioſq; Lutheri,
Enſe, rota, ponto, funibus, igne, neca.

Deum immortalem, quàm prodit ſe viperarum
Tom. 6. Ien. in Pſal. 70 1. fol. 137. a. edit. ſecunda. progenies. Agitant pontificij conſilia, excluditur
Deus, qui ſedet interim in cœlo ocioſus, vt neceſſè
habeat mittere Gabrielem Archangelum, qui proſpiciat paululùm per feneſtram, & videat quid conſultent iſti noui turris Babylonicæ Architecti, &
Iſa. 6. occinat illis quod Prophetæ inquiunt: Excæca cor
populi huius, & aures eius adgraua, & oculos eius
claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis
Iſa. 8. audiat. Item: Inite conſilium & diſsipabitur, loquimini verbum & non fiet, quia nobiſcum DEVS.
Mich. 4. Item: Ipſi non cognouerunt cogitationes Domini,
Pſal. 68. & non intellexerunt conſilium eius. Exſurge igitur Deus exſurge, & diſsipa malignantium concilium, ſicut diſpellitur fumus diſpelle eos, ſicut fluit
Pſal. 58. cera à facie ignis, ſic pereant impij à facie tua Deus, contere dentes eorum in ore ipſorum, molares Leonum confringe Domine:

Vtere iure tuo Rex Chriſte, hoſteſq; ſuperbos
Ferro, tu verbo ſterne fugaq; tuo.

Et ne non nota fiat lippis ac tonſoribus Papiſticæ ſectæ profligata malitia, impudentia effrenis, impietas diabolica, Epicureiſmus pluſquàm Cynicus, quodlibet ſcelus impunè perpetrandi nefaria atq; infanda libido, rabies & furor indomitus, non pudet hos diaboli Apoſtolos blaſphemijs ſuis infinitis, quibus ſanctum in Iſraël conturbant blaſphemias

mias addere. Horreſco referens, quod cœcus quidam cœcorum dux, Albertus Hungerus Epicurus Ingolſtadienſis, eò inſaniæ & impudentiæ ſit prolapſus, vt in promotionibus publicis, Theologiam Lutheri, quæ certius certò eſt ipſa cœleſtis, diuina & immota veritas, Philoſophiam Epicuri proclamare auſus fuerit. Viderint papiſtæ porci Epicuræi, viderint inquam, quid Ieſu Chriſto Filio Dei, die nouiſsimi iudicij ſedenti in ſolio maieſtatis, & exigenti rationem de quolibet verbo ocioſo quod homines locuti fuerint, ſint reſponſuri. Cogitent ſcriptum eſſe: Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blaſphemiæ non remittetur. Qui blaſphemat ſpiritum non habet remiſsionem in æternum, ſed reus eſt æterni iudicij. Sed quid multa: Verbum DEI habetis vos porci papiſtici pro ludo & ioco, & venter tantùm Deus veſter eſt. Progenies viperarum, quomodò poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? an non ex abundantia cordis os veſtrum loquitur? Deficiunt præterea multi, hoc vltimo, peruerſo, & exulceratiſsimo ſeculo, ab agnita Euangelij doctrina, ad abominationem deſolationis, quemadmodum Paulus electum DEI organon tàm turpem apoſtaſiam in ſpiritu præuidens prædixit: Quòd in nouiſsimis temporibus diſceſſuri ſint quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, &c. Ex quorum Iſcariotarum manipulo etiamnum prorupit amphora quædam pendens Flaſchius, qui ex hoc Comitatu oriundus, & Lutheri συμπαστριώτης eſt male feriatus,

Albertus Hungerus Epicurus Ingolſtadienſis.

Matth. 12. Mar. 3.

Matth. 24.

1. Tim. 4.

Sebaſtianus Flaſchius.

D 2 &

& vt dicitur, omnis apoſtata perſecutor eſt ſui ordinis, ipſe quoq; diabolo os ſuum mutuò dedit, ad horrenda aduerſus noſtrarum Eccleſiarum confeſſionem fulmina & conuitiorum plauſtra eiaculanda. Itane vos turpiſsimi ac leuiſsimi Apoſtatæ ac

1. Iohan. 2. Scurræ, qui egreſsi à nobis eſtis, ſed ex nobis non eratis, Chriſto fidem in Baptiſmo datam ſeruatis?

Ezech. 13. itane propter puſillum hordei, vel ſanctum denarium, à Deo ad diabolum, à veritate ad mendacium, à cœlo ad infernum, à vita ad mortem deflectitis, & in papæ ſummi Chriſti hoſtis caſtra conceditis? quibus melius erat, veritatem nunquàm agnouiſ-

Matth. 18. ſe, vel ſuſpendi molem aſinariam in collo veſtro, & demergi in profundum maris.

III. Fanaticorum peruerſa & ſiniſtra iudicia de Luthero.

Poſtremò excitauit diabolus hoc noſtro ſeculo, ex illo cœtu, qui nobiſcum confeſsionem Auguſtanam amplecti videri volunt, quoſdam Lutheromaſtiges, ſpiritus inflatos & tumidos, Sacramentarios & fanaticos alios, quibus venter adhuc turget, & κακοχυμίᾳ corruptelarum & errorum, quos imbiberunt ſemel, & concoquere nequeunt, eſt refertus. Hi nullo ſibi Luthero opus eſſe autumant, diuinæ vocationis laude eum ſpoliant, colaphos & atrocia vulnera illi infligunt. In dubium vocant, ſuſpecta faciunt, & paulatim ex Eccleſia Dei tolli huius diuini ingenij, admirabili doctrina, & multarum rerum experientia inſtructi, ſcripta volunt, contendunt multa in ijs eſſe παράδοξα & hyperbolas cum ſcriptura pugnantes, in doctrina de cœna Domini minus cautè, nimis craſſè & impropriè eſſe locutum, priuatis adfectibus indulſiſſe nimium, qui reuera ſeceſsione facta à doctrina Lutheri, ab Hieroſolyma

ſolyma in Hiericho deſcendunt, & cum Sacramentarijs colludunt & muſſant. Librum concordiæ ex ſolidis atque immotis fundamentis ſcripturæ, piæ & orthodoxæ antiquitatis & Lutheri ſcriptis contextum, cane peius & angue oderunt, ſalſis ac mordacibus dicterijs defricant, ſuſpenſo naſo irrident, cachinno ſarcaſtico exſibilant, errata craſſa & abſurda eidem adfingunt, ἄσπονδον bellum indicunt, per eum latus Lutheri inſidioſè confodiunt ac pungunt. Et vt breuiter dicam, Lutherus hiſce naſutis eſt φίλαυτος, ἐριστικός, ἀντιλογικός, πολυπράγμων, Stoicus, qui omnia ad cerebri ſui placitum dirigere, & ad viuum reſecare voluerit. Hi Lutherus, optant vt valeat, dummodò non redeat, vt eſt in Epiſcopi cuiuſdam Epitaphio, quo ſatis acutè adfectus non deſiderantis neque amantis cleri pontificem eſt expreſſus. Manichæi recentiores, etſi toto cælo aberrant à tramite natiuæ ſententiæ Lutheri, de peccato originis, nolunt tamen catalogo degenerum eius diſcipulorum accenſeri, ſed doctrinam præceptoris mordicus tenere, videri volunt, Lutheri interim teſtimonijs falsò ad delirium ſuum detortis. Sub quo prætextu ſummam iniuriam faciunt Luthero, & paradoxa ſua, peccatum eſſe ſubſtantiam, ipſum hominem qualis iam eſt poſt lapſum, ipſiſsimam corruptam hominis naturam, & ſimilia, quæ longè lateque in Eccleſijs Auguſtanam confeſsionem amplectentibus ſpargunt, huius ſanctiſsimi viri autoritate & pallio ſtabilire ac tegere conantur. Sed ſcripturam & Lutherum per tranſennam adſpiciunt, cœlum cum terra miſcent, Luthero vna manu dant, altera eripiunt, vna ipſius ſcabunt caput, altera malam

Crantz. Metropolis fol. 285.

Manichæi recentiores.

feriunt, conuictos dicere pudet, errauimus, peccauimus, miſerere noſtri D E V S. Tàm indignis modis flagellatur, crucifigitur, occiditur, ſepelitur miſer ille L V T H E R V S, eius vocatio & doctrina
,, redditur ſuſpecta & dubia, deformatur turpiſsimè
,, organon ſpiritus ſancti ſingulare, vas D E I ele-
,, ctum, pectus à ſpiritu ſancto inflammatum, auriga
,, currus Iſraël, mundi Elias tertius & vltimus, ter
,, maximus & ſacroſanctus vltimi millenarij regna-
,, tor, proculcatur pedibus falſorum fratrum, & iuſti-
Matth. 11. ficatur ſapientia à filijs ſuis.

Hæc cum ita reuera ſeſe habeant, tot ac tàm hoſtilia rabioſorum canum agmina in Lutherum ruant cateruatim, tot pygmei Hectori inſultent mortuo, tot crabronum, papilionum, ac veſparum infernalium turmæ, pertinaciſsimis ac peſtilentiſsimis aculeis armatæ ipſum circumuolitent: nemo in hac doctiſsimorum virorum corona vitio mihi verterit arbitror, quòd obſtreperis ac furioſis clamoribus, vlulatibus ac coccyſmis debacchantium in nos hoſtium, & intempeſtiuæ ſapientiæ filiorum huius ſeculi ἀμαθῶν καὶ ἀστηρίκτων Philoſophotheologorum, moderata reſponſione veritatem perſpicuam & immotam opponā, iuniores & imperitiores moneam, vt ab hac Satanica pontificiorum Eccleſia animis atque auribus abhorreant, hæreticos, falſos fratres fugiant vt peſtem, qui librum concordiæ complectentem confeſsionem Eccleſiarum noſtrarum ſua ſubſcriptione approbare nolunt, aut vi manifeſta impugnant, allatrant ac mordent. Et cum mearum ſit partium, in patriæ L V T H E R I eccleſia & ſcola, ouiculas C H R I S T I ſanguine conſperſas pabulo

lo verbi diuini paſcere, nihil à me fieri poſſe vtilius exiſtimo, quàm vt piæ iuuentuti inſtillem odium papæ & falſorum Doctorum, ardorem ad amplectendum LVTHERVM, eius ſcripta diligenter legendum, euoluendum, & pia attentione conſiderandum, omnibus mundi gazis anteponendum, in quibus LVTHERVS ſolum CHRISTVM monſtrat, fidei omnipotentiam prædicat, merita operum damnat, regnum Antichriſti deſtruit, papam in ignem gehennæ detrudit, ſcripturam luculenter & perſpicuè explicat, omnes ſtatus erudit, iuuentutem ad puerilem Catechiſmi ſimplicitatem deducit, in rebus perplexis fidele conſilium, in grauibus conſcientiæ tentationibus certam & efficacem conſolationem ſuppeditat. Præclarè dixit Quintilianus: Ille ſe profeciſſe ſciat cui placuerit Cicero: Id verius de LVTHERO noſtro vſurpare poſſumus: Ille in Theologia ſe profeciſſe ſciat, cui placuerit LVTHERVS. Solus enim LVTHERVS viuit in ſuis ſcriptis, nos omnes ſumus collatione ipſius quaſi litera mortua, vt olim piè dixit Brentius. Solus LVTHERVS omnia eſt in omnibus, non vno atq; altero dono ſpiritus ſancti, vt cæteri Theologi, ſed omnibus donis præditus fuit, quæ commemorat Paulus. In LVTHERVM transfudit ſpiritus ſanctus vniuerſam ſapientiam & eloquentiam cœleſtem, quæ tanta eſt, vt nullius hominis eloquentiſsimi eloquentiſsima eloquentia exprimi poſsit. Hæc veriſsimè vera ſunt, & in omnem æternitatem vera manebunt, quod vobis dico papiſtæ turpiſsimi, rumpatis licet ilia, & velut equus indomitus & ferociens frena mordeatis.

Breuis ſumma ſcriptorum Lutheri.

Iohan. Brentius de Luthero.

1. Cor. 12.

Et

Et vt veſtris amarulentis & diabolicis ſarcaſmis, qui alimini & pingueſcitis maledicentia, vt Salamandra imbribus, frenos inijciam, & cohibeam ſtrictis veſtra ora lupatis, mandati diuini autoritate moueor. Vult ſpiritus ſanctus, vt ſinguli ſuo loco & vocatione aduerſus Euangelij hoſtes pro virili noſtra pugnemus, & Antichriſtum & huius complices, vt ipſiſsimum diabolum, furias & Erinnyas no centiſsimas fugiamus. Sic enim præcipit in ſcriptura. Certa vſq; ad mortem pro iuſticia & veritate. Item, Chriſtus inquit: Cauete à Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Et Paulus: Ne ducatis iugum cum incredulis, quod enim conſortium iuſtitiæ cum iniuſtitia? aut quæ communio lucis cum tenebris? aut quæ concordia Chriſti cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut quid conuenit templo Dei cum idolis? Et in Apocalypſi: Exite de illa populus meus, ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis. Lutherus exurens Antichriſtianarum decretalium acta, hanc grauem adiecit adhortationem. Niſi inquit, toto corde diſſentiatis à regno papali, non poteſtis adſequi veſtrarum animarum ſalutem. Et paulò poſt: Caueat ſibi quiſquis animæ ſuæ conſultum volet, ne adſentiendo papaſtris Chriſtum neget. Et ex conuentu Smalcaldenſi diſcedens, ſic valedixit Doctoribus & paſtoribus Eccleſiæ: Impleat vos Dominus ſpiritu ſuo, & odio papæ. Et alibi inquit: Qui vult verè eſſe Chriſtianus, conſpuat papæ nomen, quoties ipſius mentionem fieri audit. Et in Geneſi. Pereat in æternum, & maledicant omnes

Contra pontificios indeſinenter pugnandum et ſcribendum.

Eccleſ. 4.

Matth. 7.

2. Corint. 6.

Apocal. 18.

Tom. 1. Ien. germa. fol. 399. prioris editionis.

Tom. 2. Ien. lat. fol. 338. editionis prioris.

Tom. 8. Ien. 2 edit. fol. 208, a.

omnes Angeli & ſancti huic portento. Nec vtilitate caret, quòd ſubinde in noſtris concionibus Antichriſti mentionem facimus. Hoc enim modo auditores ad ardentiorem gratiarum actionem excitantur. Non enim poſſunt beneficia DEI per Euangelium donata ſatis conſpici & agnoſci à nobis, niſi captiuitatis noſtræ Babylonicæ, qua antè redditam Euangelij lucem adfligebamur, ſemper ſimus memores, & quantam perniciem factio pontificia Eccleſiæ Chriſti intulerit, cuius ſcelerum & blaſphemiarum magnitudinem & atrocitatem, nulla dicendi vis verbis explicare poteſt, ſed neceſſe eſt, vt mens pia exhorreſcat, & obſtupeſcat tantorum ſcelerum cogitatione. Iuniores etiam noſtræ ætatis homines, incipiunt noſſe, odiſſe & execrari ſanguinariam illam beſtiam, quæ tot notis & nominibus blaſphemiarum inſignita eſt.

Tom. 4. Geneſ. capit. 48. fol. 191. a. edition. Norib.

Apocal. 17.

Præmiſsis cauſſis, quæ hoc tempore dicendi neceſſitatem mihi impoſuerunt, ad rem ipſam accedo, & quòd LVTHERVS vocatione diuina & cœleſti inuaſerit regnum Antichriſti Romani adfirmo, & his ſequentibus hypotheſibus immotis & infallibilibus probo. Nec quidquàm moror iſtius ſummi hoſtis DEI verè Luciferianam ſuperbiam, quòd ſeſe in templo DEI collocans, ſupra DEVM ipſum effert, & ſacrarum literarum autoritatem proculcat, quæ vnica ſunt lucerna, nobis in obſcuro loco prælucens. Pluris facio in corde meo vnum ſcripturæ ſanctæ apicem, quàm ſexcentorum paparum autoritatem, abominanda decreta, concilia, anathemata, fulmina, bullas. Non enim te Antichriſtum, ſed dilectiſsimum ſuum filium audire

Argumenta confirmationis.

2. Pet. 1.

nos iuſsit DEVS pater, huic noſtram obœdientiam & omnem prorſus obſeruantiam præſtare & probare ex animo cupimus & debemus, non tibi. Subiice te prius ſcripturæ, ſicut CHRISTVS fecit ordinatione & voluntate patris, dic ἀνάλογον, non contrarium fidei, non aliud præcipe quàm CHRISTVS, quem ſolum ſummum pontificem & caput Eccleſiæ agnoſcimus, tunc & tuam æquè vt Prophetarum, CHRISTI & Apoſtolorum vocem audiemus. Si quis vobis euangeliſauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit, inquit Paulus. Anathema igitur ſunt, quotquot ſentiunt, papam ſupra ſcripturam & ſcripturæ arbitrum eſſe.

Galat. 1.

1. Ab autoritate ſcripturæ ſanctæ.

Primum autem loco baſis pono autoritatem ſcripturæ ſanctæ, diuinitus inſpiratæ, & cœleſtibus miraculis confirmatæ. Illa clariſsimè teſtatur, Antichriſtum hominem peccati & filium perditionis reuelandum, & DEVM pro ſua diuina & inexhauſta bonitate, doctrinam fœdiſsimi idoli fermento contaminatam & collapſam inſtaurari antè finem mundi voluiſſe. Prædicit autem ſcriptura duplicem Antichriſtum. Alium extra Eccleſiam, Gog & Magog, ſiue tyranni Turcici regnum Mahometicum, quod cornu eſt paruulum in beſtia quarta, loquens ſermones grandes contra excelſum, hoc eſt, ſpargens doctrinam & religionem blaſphemam & contumelioſam in DEVM patrem Domini noſtri IESV CHRISTI, & negans IESVM eſſe filium DEI, & ſaluatorem mundi. Alium intra Eccleſiam, cum quo nobis iam negotium eſt, Cacum illum Auentinum tricipitem, ore flammas euomentem, vaſtantem regnum Chriſti, cum ſuis lemuribus, laruis ac monſtris cultuum impio-

2. Theſ. 2.

Duplex Antichriſtus. Alius extra Eccleſiam. Daniel. 7. Ezech. 38. & 39. Apocal. 20.

impiorum,ſuum idolum Maozim,id eſt,Miſſam Deum papiſtarum colentem. Nam papa nullo iure diuino ſeſe conſtituit œcumenicum, ſupra Eccleſiam Chriſti,& politicos magiſtratus,quem in eccleſiam & politiam principatum violenter raptum ex ambitione & temeritate hodiè vſurpat, contra ipſius Chriſti præmonitionem,contra exemplũ Apoſtolorum,contra iudicia & ſententias Eccleſiæ rectè iudicantis. Regnum habiturum Arctolycum eccleſiaſticum,longè lateq; per orbem terrarum diffuſum, non obſcurè indicat Daniel,maximè verò ſedem eius inter duo maria in locis amœniſsimis & opulentiſsimis collocat. Vnde in Apocalypſi meretrix ſuper aquas, & in ciuitate magna,quæ habet imperium ſuper reges terræ,hoc eſt, Roma & Italia, ſita inter Adriaticum & Tyrrhenum mare ſedere dicitur. Reuelationem Antichriſti referunt ſacræ literæ inter opera Meſsiæ. Iſaias enim inquit: Percutiet terram virga,& ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Quomodò ſit reuelandus oſtendit Paulus: Patefiet, inquit, iniquus ille, quem Dominus conficiet ſpiritu oris ſui,& abolebit claritate aduentus ſui.Quando etiam ſit futura reuelatio & deſtructio Antichriſti, prædicant Daniel & Paulus, nempe circa finem mundi, dominaturam aliquandiu ſed tandem vacillaturã cathedram Romanam, quandò in omnibus ordinibus mores hominũ erunt peſsimi & corruptiſsimi,& iam iam cœlum,terra,& vniuerſa rerum natura ruinam minabitur. Dilucidè deniq; oſtendit Daniel, vbi & in quibus mundi partibus ſit reuelandus: Fama ſiue rumor turbabit eum ab oriente & ab aquilone. Ab oriente

Matth.20. Luca 22. Iſa.29. Hier.31. Dan.12. Matth.24. 2.Theſ.2. Apoc.14. & 18. Apoc.17.

Iſa.11.

2.Theſ.2.

1.Tim.4. 2.Tim.3.4. 1.Theſ.5. 2.Pet.2.

te quidem, iuxta communem orthodoxorum ſententiam hoc factum eſt, quando Eccleſiæ orientales Romanum præſulem pro œcumenico agnoſcere noluerunt, & molitiones ipſius ſæpè repreſſerunt. Ab Aquilone verò facta eſt reuelatio, his poſtremis temporibus omnium euidentiſsimè & liquidiſsimè per IOHANNEM HVSSVM, Anno 1415. qui palàm adſeruit, papam eſſe Antichriſtum. Poſtea per MARTINVM LVTHERVM, Anno 1517. qui omnium liquidiſſimè & propius quàm alij idem demonſtrauit. Proſtrato demùm Antichriſto rumoribus ab oriente & occidente, Angeli reliqui inceſſabili voce proclamant: Cecidit, cecidit, Babylon meretrix illa magna. Poſt Apoſtolorum enim tempora, non tot, tàm luculenta, tàm neruoſa ſcripta aduerſus Antichriſtum Romanum ſunt edita vt hodiè, idq́ iuxta Prophetias veteris & noui teſtamenti, quibus terretur monſtrum illud Romanum, adeò vt nulla arma potuerint tantoperè huius beſtiæ potentiam & licentiam infinitã infringere, quantoperè ad ipſum voce humana & calamo ſcriptorio factum eſt.

Johannes Huſſus. *Martinus Lutherus.* *Apocal. 18.*

Ita nunc DEI beneficio impleta ſunt omnia, quæ in ſcripturis fuerunt prædicta. Antichriſti regnum reuelatum & contuſum eſt baculo Euangelij, ſine armis, ſeditione, gladio & potentia externa, tantùm trituratione ſiue tribula verbi, ore infantiũm & lactentium, ex quibus DEVS ſibi laudem perficit, paradyſum exſtruit, ſeruientibus DEO precibus, recitatione Catechiſmi, & dictorum ſcripturæ, quæ ſub papatu ſummi & maximi doctores ignorârunt. Quod amplius reſtat nihil eſt, niſi vt tu

Domine

Domine IESV CHRISTE iudex viuorum & mortuorum aduentum acceleres, & cataſtrophen tragicam ludas, ſiue vt Paulus loquitur, apparitione tua vipereum Antichriſti genimen penitus deſtruas, quem tuum aduentum omnes pij ſingulis momentis cum ſummo & maximo deſiderio expectant, vt venias citò & non tardes. *2. Theſ. 2.*

His viuis coloribus ac lineamentis, tàm perpicuè, tàm euidenter depingit ſpiritus ſanctus Babylonicam meretricem, cum ſuis amaſijs, ſponſis Penelopes, mancipijs, ſatellitibus, vt quemadmodum ex vnguibus leonem æſtimamus, ita tantum DEI & Eccleſiæ eius hoſtem vnuſquiſque, modò ſanum habeat cerebrũ ac mentem, dignoſcere poſsit. Nec quiſquàm alius iſta ſpiritus ſancti oracula vnquàm intellexit aliter, in aliumuè contorſit ſenſum, quàm Apocalyptica iſta bellua, cum ſuis areopagitis, iudicibus, cenſoribus, reformatoribus ſcripturæ egregijs, qui iſtam ſpiritus ſancti cenſuram ferre nequeunt, quòd pater ipſorum, tenebrarum princeps, tàm atro carbone notetur, & hunc ſcilicet honorem ſacroſancto DEI verbo deferunt, vt cereum habere naſum iſti corui crocitent, quem ipſi Lesbiæ regulæ plumbei architecti nefariè atque ſceleratè adfingunt. Et ex his fundamentis ſine omni contradictione ſequitur, LVTHERVM Romanam cathedram adgreſſum eſſe, autoritate ſcripturæ munitum, & diuino numine impulſum, ſiquidem ipſe fatetur aliquoties, ſe inuitum in hæc caſtra pertractum, nec vnquàm in animum induxiſſe ſuum, pontificis autoritatem labefactare, ſed potius ſartam tectam conſeruare. Ideò in protaſi huius conflictus ſui toties

ad papam ſcripſit, toties a d Albertum Moguntinum, vt os Tecelij effrene & impudens compeſcerent, & huius emiſſarios quæſtores inhiberent. Motus enim indignitate rei, blaſphemis & ſtentoreis clamoribus Tecelij, tacere nec debuit nec potuit, ſicut nec Helias ad idolatriam ſacerdotum Baaliticorum, CHRISTVS ad blaſphemias Iudæorum & Phariſæorum, Apoſtoli ad præſtigias & impoſturas Pſeudoapoſtolorum. Conductus erat Tecelius, ab Alberto Moguntino (cum vix antè interceſsione FRIDERICI electoris apud Maximilianum imp. Oeniponti à culei ſupplicio liberatus eſſet) vt nimirùm literis indulgentiarum argentum germanicum conflaret, quo pallium redimeret à papa, filum lini & lanas caprinas multo auro vendente. In re tàm turpi ſed quæſtuoſa ſtrenuam nauabat operam, tritor crumenarum, præſtigiator ille garrulus & clamoſus, & offucijs ſuis literiſq; quas circumgeſtabat ſecum Epheſijs in conſutili cucullo, indulgentiarum caupo peronatus, ſimplici plebeculæ, rudi & imperitæ hominum multitudini os egregiè ſublinebat, in publicis concionibus has & multas alias euomebat blaſphemias, quas miro artificio & verborumq fuco pingere ac colorare poterat. Adfirmabat ſe à papa Romano poteſtatem habere remittendi peccatum, etiam ſtuprum inferenti Mariæ θεοτόκῳ, & pecuniam in arcam argentariam deponenti. Crucem indulgentiarum rubeam cum inſignibus papæ in templis ſuſpenſam, eandem cum CHRISTI cruce habere vim & efficaciam. Eandem ſibi autoritatem & poteſtatem eſſe, quam habuiſſet Petrus in his terris. Non ſe commutatu-

Hiſtoria de Tecelio. Tom. Ien. 7. fol. 422. a. b. ſecundæ editionis, in libello wider Hans worſt &c.

Propoſitiones Tecelij impiæ & blaſphemæ.

rum

rum ſuam cum Petri ſorte in cœlo, plures enim ſe redemiſſe animas literis indulgentiarum, quàm Petrum concionibus ſuis omnibus. Satisfactione pecuniaria liberari animas è purgatorio, & interea dum nummus in arculam coniectus ſonum edat, animam in cœlum euolare Indulgentiarum gratiam eandem eſſe planè, qua peccator cum DEO reconcilietur. Non neceſſè habere peccatorem ſeriò dolere propter admiſſa peccata, & pœnitentiam agere, ſi indulgentiarum literas pecunia acquirat. Non poſſe vllum tàm graue, tàmq; grande admitti ſcelus, quod efficacia indulgentiarum non expietur. Hos obolos reperit inexplebile dolium, Calliſtrates ille pontificius, quibus illectaret nouarum hirundinum contemplatores, & in laqueos æternæ mortis induceret: has impoſturas vidit & olfecit LVTHERVS, has iuſto ac diuino zelo accenſus atq; inflammatus taxauit, & ſolidis ſcripturæ teſtimonijs refutauit. Hæc non patefaciunt papiſtæ, Eſauitæ, ventres Epicurei, iuuentuti & plebeculæ communi, ignaræ ſcelerum pontificiorum, ſed veritatem in iniuſtitia detinent, callida & artificioſa diſsimulatione ſpiritus nequiſsimi occulunt, papam in cœlum euehunt, LVTHERVM ad inferos detrudunt, album nigrum, nigrum album, ex cœlo infernum, ex inferno cœlum, ex Deo diabolum, ex diabolo Deum, ex veritate mendacium, ex mendacio veritatem faciunt.

Non igitur abſq; fato & conſilio DEI ſingulari factum eſt, vt repurgata prius doctrina de pœnitentia à ſordibus & ſcorijs papiſticis, deinde reliquarum etiam partium repurgatio ſequeretur. Nec dubi-

dubium eſt, ſpiritum ſanctum tectè ad LVTHERVM reſpicere, cum dicit in Hieremia: Bellabunt aduerſum te & non præualebunt, quia ego tecum ſum, ait Dominus, vt liberem te. Nam in comitijs VVormatienſibus corâm vniuerſo imperio Romano, Cæſare, Electoribus, Principibus, & ordinibus imperij intrepidè confeſsionem ſuam edidit. Et cum conſilia agitarent aduerſarij de eo tollendo, & reſcindenda fide publica, quemadmodùm in concilio Conſtantienſi factum erat HVSSO ad ignem damnato, noluit Cæſar adſentiri, vrgens, promiſſa eſſe ſeruanda, & LVTHERVM cum conductu ſaluo dimiſit. Accommodatur præterea ad LVTHERVM à multis excellentibus Theologis dictum Malachiæ: Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus & terribilis. Quemadmodum enim ſub initium quinti millenarij miſſus eſt Iohannes Baptiſta, πρόδρομος CHRISTI aduenientis in carnem, quem præceſsit cum ſpiritu & virtute Heliæ: Ita ſub finem ſexti & vltimi millenarij DEVS miſit tertium & vltimum Heliam LVTERVM, qui reuelato & occiſo Antichriſto, antè aduentum CHRISTI ad iudicium, Euangelio priſtinam maieſtatem reſtitueret, conuerteret cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Deniq; ad LVTHERVM non inconcinnè applicatur dictum in Apocalypſi: Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, &c. Hic Angelus eſt LVTHERVS, qui Euangelium prædicauit felici ac celerrimo curſu, inuito & fremente Antichriſto. Nam propoſitiones

Hier. 1.

Malach. 4.

Luca 1.

Apoca. 14.

ones eius contra Tecelium editæ, vt meminit ipſe, ſpacio dierum quatuordecim per vniuerſam fermè Germaniam tranſuolârunt. Hoc Euangelium propediem ſequetur iudicium, in quo DEVS Eccleſiam piorum gloria & vita ornabit, Antichriſtum verò, & omnes charactere eius inſignitos, in æternos cruciatus abijciet. *Tom. 7. Ien. fol. 423. a. ſecunda editionis.*

Hæc teſtimonia in verbo prædicta habet doctrina Lutheri, hæc verbo ſunt conſentanea, his prædictionibus reſpondit euentus, his fundamentis armatus atq; inſtructus Lutherus, præditus ſpiritu verè Prophetico & Apoſtolico, alacri prælio contra papam diſceptauit, habens Theologiam ſuam à priori, immediatè, non ab homine, ſed ab ipſo filio Dei, ex cœleſti quadam reuelatione, & ita certus de vocatione ſua, vt coràm Deo & hominibus cum fiducia æquè atq; Paulus gloriari, vocationem ſuam magnificè extollere, & non arroganter ſed neceſſaria & ſancta quadam ſuperbia contra Pſeudoapoſtolos glorificare potuerit, quemadmodũ Legatus regius, quòd non ſit perſona priuata ſed regius Legatus, gloriatur & ſuperbit, & propter hanc dignitatem regius honos ipſi defertur. Huius autem ſuæ vocationis meminit aliquoties, inprimis in epiſtola ad Fridericum Electorem, vbi in hunc ferè ſenſum ſcribit: Se Euangelium non ab hominibus, ſed de cœlo per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum accepiſſe, vnde iure ſeſe Dei ſeruum & Euangeliſtam profiteri poſsit. Ibidem inquit: Præter ſuum conſilium & voluntatem eò vſq; hoc religionis negotium progreſſum eſſe, ſortiturum etiam præter conſilium & voluntatem ſuam euentum optatum, nec infe- *Tom. 2. Ien. ger. editionis prioris, fol. 57. a.* *Fol. 49. b. 50. a.*

Tom. 2. lat. Ien. editionis prioris fol. 548. b.

Tom. 5. Ien. fol. 99. edit. ſecundæ.

Oſe. 13. Ibidem fol. 275. a.

inferorum portas hoc DEI conſilium impedituras. Et contra regem Angliæ: Certus ſum, dogmata mea me habere de cœlo, quibus etiam aduerſus eum triumphaui, qui in vngue nouiſsimo plus habet virtutis & aſtutiæ, quàm omnes papæ, & reges, & Doctores, &c. Et alibi. Deus me contra vos Papiſtas incitauit, vt eſſem vobis vrſus & leo in via: nomen meum quieſcere vos non ſinet, donec vel conuertamini, vel funditus pereatis. Item: Vita mea carnifex, mors mea diabolus vobis erit. Huc alludit verſiculus Lutheri:

Peſtis eram viuus, moriens tua mors ero Papa.

D. Iohannes Staupitius de Lutheri Doctoratu.

Tom. 5. Ien. 2. editionis fol. 492. b.

Im Brieffe von Schleichern.

Tom eodem fol. 302. b.

In der Gloſſe auff das vermeindte Keiſerlich. edict. Item in Pſal. 82. ibid. fo. 157. b.

Cæterùm cum vocatione coniunxit etiam Doctoratum, quem cum detrectaret, prætendens valetudinem aduerſam, ioco dixit Staupicius: Deo iam propediem in Eccleſia multum fore negotiorũ, ad quæ Lutheri opera vti neceſſe haberet. Renunciatus igitur Doctor publicè, hac legitima vocatione, cui mos gerendus fuit, ſæpè in grauiſsimis tentationibus & difficilimis negotijs ſe ſuſtentauit, & Doctoratum ſuum omnibus mundi opibus prætulit, deſperandum ſibi eſſe dicens, in hac tàm dura prouincia, ſi eam ſine legitima vocatione & mandato ſuſcepiſſet. Nec prætereundum ſilentio, quod ſcribit vir DEI: Ego Doctor MARTINVS LVTHERVS vocatus & coactus ſum, vt Doctoratus inſignia acciperem, inuitus & contra voluntatem meã, & iuramento me obſtrinxi, quòd fidem Chriſtianam vellem adſerere, defendere & demonſtrare ex ſacris literis, Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis. Huic vocationi & doctrinæ meæ perti-

pertinaciter ſeſe oppoſuit Papatus, ſed iacta eſt alea, pontificij euentum experientur. Et alibi excuſat ſe, quòd non ſit autor turbarum in religionis negotio excitatarum, & eo nomine accuſat Moguntinum & Leonem decimum patrocinantes Tecelio in cauſſa manifeſtè impia & iniuſta. Et tantùm de vocatione LVTHERI ex fundamentis ſcripturæ & ſuis ipſius ſcriptis mediocriter demonſtrata monuiſſe ſatis eſſe puto, quam oppono omnibus paraſitaſtris pontificijs, Naſo, Hungero, Flaſchio, imò ipſi diabolo & inferorum portis, vniuerſo regno ſerpentis antiqui, & huius vipereo ſemini caudam tortuoſam longo ambitu & multis gyris poſt ſe trahenti.

Tom. 7. Ien. fol. 423. a. b.

Hîc vero iterum exacuunt linguas ſuas ſerpentes, & venenum ſuum effundunt Aſpides pontificiæ, & odioſam nouitatis ſcabiem noſtræ doctrinæ adfricant, hæreticam proclamant, Lutherum nouum, aiunt, Euangelium ex ſuo cerebro eſſe commentum. Sed reſpondeo: Noſtram doctrinam, quòd non ſit noua, ſed multò antiquior, quàm horrenda illa idolatria papiſtica, imò antiquiſsima & veriſsima, irrefragabili autoritate & immota certitudine veritatis cœleſtis cum inſtauratoribus & propagatoribus ſuis ſe contrà omnes inferorum portas tueri & defendere. Cœlũ & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibũt, inquit Chriſtus. Idem enim credimus, prædicamus, quod Adam, Abel, Enoch, Noha, Abrahã, Iſaac, Iacob, Patres & Prophetæ omnes crediderũt, & prædicarũt, quod Chriſtus, quod Apoſtoli docuerũt, pro quo S. martyres in veteri & nouo teſtamento, max. in primitiua eccleſia ſangui-

Obiectio pontificiorum de nouitate doctrinæ, de qua Tom. 5. Ien. fol. 83. b. ſecundæ editionis: Ob der Luthers Lere elter ſey / als des Bapſts Abgötterey.

Luca 21.

 nem

nem ſuum profuderunt, exilia & miſerias ſuſtinuerunt, vitam & fortunas in ſum̄um periculum conieceru͂t, quod compræhenſum eſt in ſacris literis, ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, tribus Symbolis piæ & orthodoxæ Eccleſiæ, Apoſtolico, Niceno & Athanaſiano, in confeſsione Auguſtana, Carolo V. exhibita, quam Electores, principes, comites, ciuitates, regna, ſubſcriptione ſua approbârunt, in articulis item Smalcaldicis, Catechiſmis LVTHERI minore & maiori, & omnibus alijs viri Dei monumentis in publico extantibus, deniq; quòd ipſe Dominus de cœlo dixit. Hoc ſumma gloria, ſummum beneficium & ſanctuarium noſtrum eſt, vera & vnica religio, verus & vnicus cultus, diſcernens nos à Turcis, Iudæis, papiſtis, & omnibus alijs ſectis, quòd credimus remiſsionem peccatorum gratuitam, ſine operibus, vel præcedentibus, vel ſequentibus, ex pura & mera miſericordia, ſicut Deus pater dat ſolem, & omnia bona, quibus fruimur, propter quod vos papiſtæ nos tàm hoſtiliter odiſtis & perſequimini. Hoc dixit Dominus, ſi pro ſe haberet papa veſter, quòd Deus ſecum locutus eſſet Romæ, quemadmodum cum patribus, bone Deus, quomodo ſeſe extolleret, non ſolum ſupra D E V M, quod facit, vnum, ſed ſuper mille Deos, ſi plures præter hunc vnum eſſent. Petri nudum nomen habet, præterea nihil, & tantum hæret in illa prima natiuitate, ſucceſsione ordinaria, ſicut Eſau, & ſe in loco Petri ſedere iactitat, in quo canes & porci ſedere poſſunt, imò ſederunt plurimi, & ſub hoc vno Petri pallio, tantas idolatrias confirmat, & ſuis impudentiſsimis mendacijs totum terrarum orbem replet.

Norma doctrinæ Eccleſiarum reformatarum.

Contra primatum papæ. Centur. 1. lib. 2. cap. 4. fo. 412. Item capit 7. fol. 524. & deinceps.

Cathedra papæ ſedes canum & porcorum.

Obijci-

Obijciunt præterea nobis tot & tam infinitas ſectas in noſtris Eccleſijs exortas. Sed primùm oppono iſtis Ariſtarchis omnium temporum Eccleſiæ hiſtoriam, quæ oſtendit euidenter, quoties doctrina cœleſtis diuinitus in aliquo loco fuit accenſa, quòd ibi ſimul Satan excitârit ſuos Apoſtolos, qui hæreſes & ſectas in Eccleſiam DEI inueherent, vt temporibus Heliæ, Iſaiæ, Chriſti, Apoſtolorum, in Eccleſia primitiua, multi fuerunt Pſeudoprophetæ, fanatici, impoſtores, hæretici. Quid igitur mirum quòd ſub initium renaſcentis Euangelij, & hoc noſtro tempore in reformatis Eccleſijs exortæ ſunt hæreſes & ſcandala, Iconomachi, Anabaptiſtæ, Antinomi, Interimiſtæ, Sacramentarij, Pelagiani, Semipapiſtæ, Manichæi, & alia infinita ſpectra, quorum magna pars Dei beneficio per librum Concordiæ ex Eccleſijs noſtris eſt exploſa? Quia igitur papiſtæ offenduntur doctrina, vt vocant Lutherana, quòd multæ ex illa enaſcantur hæreſes & ſcandala, ipſi ſcandalis perire debent (vt iamdudum prædixit ipſis LVTHERVS) quòd ſanam doctrinam amplecti nolunt. Deinde occino ſpiritibus maledicis, ſomnolentiam, negligentiam, & ingratitudinem mundi aduerſus exortum lumen Euangelij, verſutiam & tyrannidem diaboli incompræhenſibilem & ineffabilem, ad gloriam Dei & ſalutem hominum impediendam. Expreſſè enim inquit Chriſtus, quòd dormientibus hominibus diabolus ſerat zizania inter triticum in agro Domini, hoc eſt, quandò Doctores in Eccleſia, fiunt ſomnolenti, negligentes, & muti canes, vigiles cœci & mercenarij, & auditores in tanta copia & luce verbi fiunt ſaturi

Alia obiectio de multitudine ſectarum in Eccleſijs reformatis.

Matt. 13.

turi & pertæſi, ſordet ipſis panis vitæ, vt Iſraëlitis

Num. 21.

Manna in deſerto, aperiuntur diabolo fores & feneſtræ, vt corrumpat & deprauet verbum Dei purum & cultum verum, & ſubſtituat cultus idolatricos & falſos. Eccleſia igitur in hac vita ſemper eſt cœtus mixtus ex tritico & zizanijs, id eſt, ex bonis & malis. Vbi DEVS ibi vult eſſe diabolus, vbi Abel ibi Cain, vbi Iſaac ibi Iſmaël, vbi Iacob ibi Eſau, vbi Dauid ibi Saul, vbi Chriſtus ibi Iudas. Quid igitur obijciunt nobis inſulſi Papiſtæ, Donatiſtæ & Cathari noui? Quid controuerſijs, erroribus & corruptelis adimitur doctrinæ, veritati cœleſti, quæ laborare quidem poteſt, opprimi non poteſt? Quid verbo Dei imputatis, quod eſt diaboli & malitiæ hominum? Quid noui accidit diſſeminatione errorum & corruptelarum in noſtris Eccleſijs? cum in eo

Tom. 4. lat. Ien. prioris edit. in 5. ca. ad Galat. fol. 167. a.

antiquum obtineat Satan, & zizania inter triticum ſerere pro more habeat. Deniq; quid obijciunt nobis aduerſarij multitudinem ſectarum? cum totus Papatus ſcateat ſectis, vt canes in æſtate pulicibus: tot inter ipſos ſunt opiniones, quot Monachi in

Tractatus Matth. Fla. Illyr. germanicus de horrendo diſſidio ſectarum & Rottenſiumini Eccleſia pontificia.

Monaſterijs: tot mutuas alunt æmulationes, contentiones, lites, virulentias, morſus & deuorationes, vt bubalum corium ea complecti non poſsit, imò nullus ſit numerus. Licet autem ſint inter eos infinitæ diſſenſiones & diſtractiones, vt mutuò ſeſe oderint, quemadmodum figulus figulum, mendicus mendicum, tamen ſuper CHRISTO fiunt

Tom. 7. Ien. edit. ſecund. in 15. ca. Io. fol. 153. b. 157. a.

amici Pilatus & Herodes, Caiphas, Iudas, Papa, Epiſcopi, Cardinales, Monachi, Sacrificuli & omnes diaboli, modò vnanimiter inſultent LVTHERO CHRISTVM purè docenti. Nullus in

Papatu

Papatu pellitur in exilium propter ſcortationes & alia grauia ſcelera, quin cùm honeſtis matronis & virginibus ſtuprum inferunt, ſummo adficiuntur honore, dicuntur patres reuerendi, ſancti ordines, fraternitates, columnæ & lumina Eccleſiæ. Adeò ſanctus eſt diabolus Papiſticus, vnicus LVTHERVS hæreticus eſt & ſeditioſus, contra quem vnum ordinem omnes ſancti ordines inſurgunt. Sed quis hîc non dicat, ſanctam catholicam eccleſiam Romanam (ſi Dijs placet) ſuo ſe iugulare & ferire gladio?

Tom. 6. Ien. ſuper tria Symbol. fol. 541. a. b.

Quòd ſi verò adeò ſtupidis & inſenſatis Papiſtis Deus ſpiritum ſoporis miſcuit, vt quidquid contra ipſos ex verbo Dei hactenus dictum eſt, de doctrinæ repurgatione per LVTHERVM facta, tanquàm lapidi & ligno dicatur, perpendant ſaltem exempla ex communi hominum vita deſumta. Rex vel Princeps videns infuſionem hoſtium in ſuam ditionem, deſtruentium ordinem Politicum, & diſciplinam honeſtam, ſummo conatu & viribus omnibus eos propulſat atque arcet è ſuæ ditionis & territorij finibus, reſtituit leges & diſciplinam ab hoſtibus labefactatam. Speculator in turri editiore collocatus ad explorandum & præmonendum ab impendentibus malis, proſpiciensque incendiū, clangore tubæ dat ſignum, vt tempeſtiuè confluat populus & reſtringat, ne in immenſum excreſcat ignis, ſerpat & graſſetur longius, depopuletur domos plures, atque adeò irrecuperabilis iactura præcaueatur. Nauclerus peritus & diligens, præuidens ingentes tempeſtates, quæ vel nauiculæ manifeſtum periculum adferre, vel penitùs eandem ſubmer-

A communibus exemplis, quod cladem imminentem præcauere & auertere liceat.

ſubmergere poſsint,in omnes intentus eſt occaſiones vt euadat,& nauem incolumem ad portum traducat. Quis nunc adeò ſtolidus & mente captus dicat? non debuiſſe LVTHERVM Eccleſiæ Doctorem,ratione officij & conſcientiæ dictantis,perſentiſcentem abominandam idolatriam, craſsiſsimos errores, carnificinam conſcientiarum adeò in regno pontificio inualeſcere, fucum Romanum ab aluecolis mellificij Eccleſiaſtici arcere, incendiarium publicum, latronem, graſſatorem Eccleſiæ Dei ſignificare,euerſorem nauiculæ Chriſti arguere,& vt fortiſsimum athletam contra hoſtem Dei acriter pugnare. Et tantùm de prima demonſtratione dicere volui,quòd LVTHERVS impulſus mandato & autoritate verbi diuini, zelo ſpiritus & fidei, officij & conſcientiæ ratione, ſcelera pontificis Romani,reuelante ea ſpiritu ſancto, reticere & diſſimulare non debuit, ſed ouiculis lupum rapacem venientem in veſtitu ouium oſtendere.

Matth.7.

II. Ab euentu vaticiniorum antiquitatis piæ & orthodoxa.

Venio ad ſecundam demonſtrationem ſumtam ex piæ & orthodoxæ antiquitatis aliquot prædictionibus, quibus veriſsimè euentus reſpondit, Eccleſiam Dei eſſe aliquando ab erroribus repurgandam, Dixi autem Eccleſias noſtras repurgatas non gignere noua dogmata, nec amplecti aduerſariorum doctrinam, ſed conſtanter ſequi tanquàm cynoſuram ipſius Dei verbum, Patriarcharum, Prophetarum,Chriſti & Apoſtolorum vocem,& fidem illibatam ſanctæ Eccleſiæ primitiuæ, virginis abinquinamentis & pollutionibus hæreticorum puræ, & fugere Eccleſiam malignantium, quæ poſt tempora Apoſtolorum & patrũ ab vnico & ſolido fundamento

damento ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolorum pugnantes, quemadmodùm paulò pôſt infra copioſius demonſtrabimus. Huic diuinæ & immotæ veritati nòn defuerunt, qui etiam in meditullio Eccleſiæ papiſticæ teſtimonium præberent publicum, & genua ſua coràm Baal non incuruarent, ſed aduerſariorum inſanis clamoribus, Epicureæ vitæ Monachorum & Papiſtarum verè Epicureorum, & moribus vniuerſæ Clericorum lernæ turpiſsimis & corruptiſsimis grauiſsimè ſeſe opponerent. Horum ingentem catalogum contexere, & à patrum in primitiua Eccleſia temporibus, vſq; ad noſtrum patefacti Euangelij ſeculum deducere poteram. Sed hoc ſi tentarem Ilias immenſi operis naſceretur. Remitto igitur pium Lectorem ad catalogum teſtium veritatis, qui antè noſtram ætatem reclamârunt papæ, ab Illyrico collectum, & tantùm repeto quædam vaticinia, quæ aliquot ſeculis & annis reformationem à LVTHERO factam præ ceſſerunt, vt videre nolentes papiſtæ videant, extitiſſe ſemper pia quædam pectora, in ipſorum Eccleſijs cathedralibus, Monaſterijs & Collegijs, nec ſolos nos eſſe, qui primatum, purgatorium, priuatas Miſſas, vigilias pro mortuis, indulgentias, communionem ſub vna ſpecie, tranſſubſtantiationem, ſanctorum inuocationem, cœlibatum impurum, falſationem & adulterationem doctrinæ, & alios infinitos & horrendos abuſus, tetricos & idolatricos cultus Sodomitarum & Epicurorum Romanenſium, tolerare & probare non potuerunt.

Catalogus teſtium veritatis ab Illyrico editus.

Tempus reuelandi Euangelij per LVTHERVM Eccleſia antè annos mille & ducentos prævidit,

uidit, prædixit, & celebrauit, in cantico Ambroſij & Auguſtini, cabaliſticè decantato in omnibus monaſterijs & Synagogis pontificijs, in verſu, ex quo numerus anni ex literis colligitur:

Canticum Ambroſij & Auguſtini.

TIbI CherVbIn & SeraphIn InCeſſabILI VoCe proCLaMant.

Et vt propius aliquanto accedam ad noſtra tempora, annotabo exemplum vnum atque alterum, in quo perſpicuè apparet, non ſolum duriter taxatum eſſe Papam eiuſque Clerum, ſed proximum ei imminere exitium, eſſe prænunciatum. De Romana Eccleſia erroribus plena ac tandem ruitura verſus vetuſti, ab homine aliquo pio ſcripti extant apud Vrſpergenſem & Cuſpinianum.

Vrſperg. paraleipom. fo. 352. Iohan. Cuſpinian in hiſtor. Fride. ſecundi.

Frider. ad Gregor. Papam.

Roma diu titubans varijs erroribus acta
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

Pap. ad Imp.

Niteris incaſſùm nauem ſubmergere Petri,
Fluctuat, aſt nunquàm deſinet eſſe ratis.

Frid.

Fata volunt, ſtellæque docent, auiumque volatus,
Quòd Fridericus ego malleus orbis ero.

Pap.

Fata volunt, ſcriptura docet, peccata loquuntur,
Quod tibi vita breuis, pœna perennis erit.

Alij ad Romanæ Eccleſiæ ruinam addunt hoc Diſtichon.

Pòſt homo peccati veniet, quem ſpiritus oris
Chriſti perdet, erit poſtque ſuprema dies.

Floruit,

Floruit, vt puto, virgo quædam veſtalis, Catharina Senenſis circa annum Chriſti 1380. cui papiſtæ non tantùm ingentem ſanctitatem, ſed & Prophetiæ ſpiritum tribuerunt. Illa præter cætera pulcerrimam exoptatiſsimamq́ Eccleſiæ DEI reformationem conſecuturam prædixit, pôſt ingens ſchiſma quod etiam mox ſubſecutum eſt, & vſq; ad Conſtantienſe concilium durauit, & pôſt bella grauiſsima quæ & ipſa acciderunt, & fermè tempus doctrinæ repurgatæ attigerunt. Verba vaticinij propter iuuentútem ſcolaſticam addo: His tribulationibus & anguſtijs, modo imperceptibili hominibus, purgabit Deus Eccleſiam ſuam ſanctam, & ſuſcitabit ſpiritum electorum ſuorum, ſequeturq́ pôſt hæc tanta reformatio Eccleſiæ Dei ſanctæ, & renouatio paſtorum ſanctorum, vt etiam ex ſolo cogitatu exultet ſpiritus meus in Domino: & ſicut aliàs pluries vobis dixi, Sponſa quæ nunc eſt tota deformis atq; pannoſa, tunc erit pulcerrimis monilibus precioſis ornata, cunctiq; fideles gaudebunt, quòd ſit tàm ſanctis paſtoribus decorata. Et populi etiam infideles, bono Chriſti odore tracti, ad ouile catholicum reuertentur, & conuertentur ad verum paſtorem, & Epiſcopum animarum ſuarum. Agite igitur gratias Deo, quòd pôſt hanc tempeſtatem dabit Eccleſiæ diem ſerenum. Theodoricus Epiſcopus Croatiæ, qui vixit circa annum Chriſti 1410. prædixit, ſedem Romanam ſimonia & libidinibus contaminatam corruituram. Idem prædixit, fore vt iuſtitia, quæ longo tempore fuerat recluſa, in lucem prodeat & exaltetur, item vt Eccleſia & vera pietas refloreat magis quàm vnquàm antea.

Catharina Senenſis.

Theodoricus Croatiæ Epiſcopus.

Iohannes Huſſus. Eodem tempore Iohannes Huſſus combuſtus Conſtantiæ ad lacum Podamicum, ob veræ doctrinæ conſtantem confeſsionem, prædixit, pòſt annos centum venturum cygnum, qui canat & non cremetur. *Mechtildis.* Mechtildis mulier ſancta vaticinata eſt: Deum exſuſcitaturū nouos paſtores, qui ſanā Chriſti doctrinam pijs proponant, eiuſq; iam fermè collapſam eccleſiā ſedulò reædificent & inſtaurēt, Chriſtianamq; religionē, quæ multis erroribus eſſet contaminata, repurgent, ac contra Antichriſtum concionentur. *VVeſſelus Groningenſis.* VVeſſelus Groningenſis, qui adeò celebris fuit, propter inſignem pietatem & eruditionem, vt lux mundi vulgò vocaretur, abuſus ac fraudes Romaniſticas acerrimè repræhendit, ſuamq; de religione ſententiam, Pariſijs, Romæ, & in multis alijs celeberrimis locis diſputando defendit, mortuus anno Chriſti 1489. Prædixit multa de Pontificij regni ruina, & inprimis his verbis vſus eſt ad M. *M. Iohannes Oſtendorpius.* Iohannem Oſtendorpium iuuenem, Canonicum Dauentrienſem: Studioſe adoleſcens, ad illum viues diem, quo doctrina recentiorum & contentioſorum iſtorum Theologorum, Thomæ & Bonauenturæ, & aliorum eiuſdem farinæ, ab omnibus verè Chriſtianis Theologis explodetur. Huius vaticinij veritas euentu fuit comprobata: nam Oſtendorpius vixit anno 1520. & hunc lætum diem Chriſti vidit. *Iohannes Hiltenius Franciſcanus.* De Iohanne Hiltenio Franciſcano Iſennacenſi, cuius vaticinia omnibus ſunt nota, dixit mihi aliquoties vir clariſsimus piæ memoriæ Iohannes *Iohannes VVilhelmus Reiſſenſtein.* VVilhelmus Reiſſenſtein, LVTHERI olim domeſticus, ſe ex LVTHERO audiuiſſe, Hiltenium in lectorio ſemper adhortatum ſuos Diſcipulos,

vt

vt alter alteri honorem exhiberet, & caput aperiret, nam ex illo cœtu prodíturum vnum, qui demoliturus eſſet Papatum, in quorum numero tùm fuit LVTHERVS puer Iſenaci ſcolam frequentans. Doctor Andreas proles Lipſenſis, Auguſtinianorum Prouincialis, vir doctus & magni animi, inter prælegendum ſæpè hæc verba dixit: Auditis fratres teſtimonium ſcripturæ ſanctæ, quòd gratia ſimus quidquid ſumus, & gratia habeamus quidquid habemus. Vndè igitur tantæ tenebræ & horrendæ ſuperſtitiones? O fratres, res Chriſtiana opus habet forti & magna reformatione, quam quidem iam propè inſtare video. Quærentibus fratribus, quare ipſe non inciperet reformationem, ac erroribus ſeſe opponeret, reſpondit: Videtis fratres, me eſſe ætate grandæuum, corpore & viribus debilem, & agnoſco me non eſſe præditum tanta doctrina, induſtria & eloquentia, quantam hæc res poſtulat. Sed excitabit Dominus Heroem, ætate, viribus, induſtria, doctrina, ingenio, & eloquentia præſtantem, qui reformationem incipiet, erroribuſq́ſe opponet, ei Deus animum dabit, vt magnatibus contradicere auſit, & ipſius miniſterium ſalutare Dei beneficio comperietis. Meminit LVTHERVS, ſe puero Prophetiam hanc ſæpè decantatam: Eſſe redimendum ſepulcrum Dominicum, per Fridericum Imperatorem. Sepulcrum Domini intelligit ſcripturam, in qua veritas Chriſti per papiſtas occiſa ſepulta iacuit. Milites cuſtodientes ſepulcrum, ſunt ordines mendicantium, & hæreticæ prauitatis inquiſitores. Fridericus redimens ſepulcrum, eſt Elector Saxoniæ, qui in comi-

D. Andreas Proles.

« « « N.B. « « «

Tom. 2. Ien. lat. edit. prior. de abrogãda Miſſa priuata fol. 493. b. Item Tom. 2. Ien. 8 o. fol. 45. b. 46. a. editio. prior.

tῃs concordibus ſuffragῃs Electorum Imperῃ & deſignatus & petitus eſt Imperator, & verè, ſi voluiſſet, Imperator fuiſſet.

Ex plurimis pauca aliquot recenſui vaticinia, ex quibus infallibili conſequentia tria potiſsimùm colliguntur. Primùm: Quòd Romana Eccleſia, quæ ſe matrem & magiſtram omnium Eccleſiarum falſò & pompoſè iactitat, minimè ſit vera Eccleſia, non Dei ſed tyrannica & idolatrica Eccleſia. Non enim amplexatur integrè incorruptam IESV CHRISTI doctrinam, & legitimum vſum Sacramentorum, quæ ſunt non dubium ſignum veram Eccleſiam monſtrans, ſed doctrinas dæmoniorum & blaſphemias in DEVM manifeſtè profitetur & propugnat, & recedit à fundamento verbi, quod eſt amuſsis, iuxta quam Eccleſia in toto orbe conſtrui & gubernari debet. Ideoq; cum Satan ſtatim ſub initium Eccleſiæ iſtas ſuas doctrinas pῃs obtrudere conaretur, excitauit DEVS pios & ſalutares Doctores, qui falſæ doctrinæ Antichriſtianæ Eccleſiæ reſtiterunt, donec error veritatem tandem oppreſsit. Olim Eccleſia Græca eiq; coniunctæ, totum fermè mundum, vel certè longè maximam eius partem continentes, planè papiſticarum impietatum & abominationum fuerunt ignaræ. A Paulo Romæ Apoſtolorum temporibus Eccleſiam eſſe plantatam, initioq; puram, & ab hæreſibus immunem fuiſſe, nullum eſt dubium: niſi quòd pòſt per Anacletum eiuſq; ſucceſſores, ſana doctrina næuis & manifeſtis corruptelis fermentari cœpit, ſublato diſcrimine veteris & noui Teſtamenti, corrupta doctrina de libero arbitrio, pœnitentia, iuſtificatio-

Centu. Eccl. 2. cap. 7. fol. 148. 149. 50.

ficatione, fide, oratione. Iactis fundamentis iniquitatis, creuerunt, idolomania, arrogantia, inſolentia, impia decreta, quòd circa fidem papa nunquam errauerit neq; errare poſsit: & pontificum Romanorum autoritas & potentia per Imperatores vt plurimum aucta eſt & ſtabilita. Putidum ergò omninò eſt Pontificiorum commentum, quòd de Catholico ſuæ idolatriæ conſenſu glorientur, & ſanctam illam ac puram antiquitatem baſin & columnam ſui Antichriſtianiſmi ponunt, imò ſcelerate faciunt, quòd omnes ſuos abuſus, ſuperſtitiones, impietates, ſpiritui ſancto & Eccleſiæ Dei contra propriam conſcientiam tribuunt. Deinde ex prædictis vaticinijs hoc ſequitur: Quòd decretum & conſilium Dei fuerit immutabile, reformari ac purgari Eccleſiam à fermento Phariſæo papiſtico, & diuinitus excitatum Lutherũ, vt peſsimas artes & fraudes Romaniſticas reuelaret, abuſus & errores in toto Chriſtianorũ orbe diſſeminatos taxaret ac tolleret. Et quòd omninò hæc vaticinia & multa alia, ex vetuſtis codicibus & monumentis tranſcripta & fide digna, ex papiſtarum monaſterijs & bibliothecis prodeuntia, & pontificiam turpitudinem aperientia, ipſi ſpiritui ſancto, non ſpiritualibus columbis papiſtarum & bubonibus præſidentibus & regentibus ipſorum concilia, ſint tribuenda, vt accidit in concilio Romæ ab Ioanne 23. celebrato, atteſtante id Nicolao clemange, M. Pariſienſi & Archidiacono Barocenſi, qui vixit circa annum Chriſti 1416. Non enim ſine patefactione ſpiritus ſancti, Euangelij doctrina, telis aranearum & denſiſsimo puluere traditionum humanarum implicita atq; obliterata, in

Agatho in epiſt. ad Imperatores act. 4. Conſtantinop. Synodi.

Iuſtin. in Authent. coll. 9. tit. 6.

Catbal. teſt. ver fol. 940. edit. prima.

in lucem prodire debuit. Neq; vnquàm voluntate humana allata eſt Prophetia, ſed ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. Poſtremò & hoc ſequitur: Quòd Deus ſemper, vt etiam ſub Papatu, ſua habuerit ſeptem millia non curuantia genua ſua coram Baal, ore & calamo reclamantia ſuperſtitioſæ Antichriſti hypocriſi & dæmoniorum doctrinis, quæ & Moſen aliquem educentem populum è tyrannide & ſeruitute Ægyptiaca ardentibus votis, ſuſpirijs & gemitibus expetiuerunt. Quòd ſi hæc ſpiritus ſancti organa, pia pectora, & Dei templa, ſanctum concilium Romanum, procla mauerit hæreticos, ſeditioſos, ſchiſmaticos, rebelles, facilè dixerim, Epicuros pontificios nòn abſimiles Iudæis blaſphemis, qui CHRISTO obijciebant: Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Hæc de altero Argumento.

2. Pet. 1. *3. Reg. 19.* *Iohan. 8.*

III. *Ab vtili & neceſſario.*

Tertiò, cum tot ac tàm infinita malorum, confuſionum, idolatriarum libidinumq; agmina Eccleſiam Dei obruerent, à quorum commemoratione piæ mentes abhorrent, quorum conſpectu ipſe Sol expalleſcit, vtile & extrema cum neceſsitate coniunctum fuit, ne quà Deus iuſta ira exardeſcens, in impuriſsimam Pontificiorum factionem grauiſsimè animaduerteret, & fulmina ſua mitteret, antè vltimum filij DEI aduentum ad iudicium nouiſsimum, fieri aliquam in Eccleſia reformationem, donec ſubſequatur vniuerſalis, qua totum Antichriſti regnum horribilibus ſupplicijs in ſtagno ignis ardente Sulphure cum omnibus Beſtiæ charactere inſignitis excruciabitur. Nam malitia, turpitudinibus, artibus magicis, ſiue incantationibus, tyran-

Apocal. 19.

tyrannide, perſecutionibus, inſidijs, fraudibus, ſeditionibus, auaritia, lenocinijs, ſacrilegijs, furtis, rapinis, ſtupris, adulterijs periurijs, inceſtibus, libidinibus, & nefandiſsimis ſceleribus, adeò celebris eſt cathedra Romana, inſidentibus huic teterrimis monſtris & portentis, vt ne quidem inter homines honeſtos numerari mereantur, ſed potius cum diabolo & ipſius organis, peſtibus generis humani, Cambyſe, Antiocho Epimane, Nerone, Caligula, Vitellio, Heliogabalo, Caracalla, quos immaniſsimis ſceleribus longè ſuperârunt, quàm cum Chriſto, Apoſtolis & veris Epiſcopis ſint plærique comparandi. Sed cum de flagitijs ac ſceleribus illius Satanicæ Romanæ curiæ nobis iam principaliter non ſit ſermo, Antitheta quædam in doctrina, Catechiſmo noſtro puerili adeoque ipſi ſacroſanctæ ſcripturæ ex diametro contraria, quanta fieri poteſt breuitate & ſimplicitate oſtendam. Ac primùm errores Antichriſti Romani contra Decalogum, rudioribus delineabo, vnde apparet, totum Antichriſti regnum, ἀντικείμενον eſſe regno Chriſti. In primo præcepto requiritur ſola Dei agnitio, & docetur, nullum eſſe alium Deum præter vnum. Contrà papa ſummus idolatra, & abominationum omnium parens, homo peccati & filius perditionis, collocat ſe in templo Dei, effert ſe ſupra Deum, oſtentat ſeipſum vt Deum, vocat ſe Deum terreſtrem, Deum deorum, non hominem purum, ſed deificatum, ſiue mixtum ex Deo & homine, habentem imperium in angelos in cœlo, in dæmones in inferno, traditam ſibi omnem poteſtatem in cœlo & in terra, adſiſtere ſibi ſpiritum ſanctum, habere idem Conſiſtori-

Legatur Platina, Sabellicus, Urſpergenſis Crantzius, Robertus Barns.

Errores Antichriſti contra Decalogum.

2. Theſ. 2.

um cum Deo, idem tribunal cum Chriſto, & quæ id genus alia arroganter ſibi adfingit beſtia illa blaſphema. In ſecundo præcepto requiritur verus vſus nominis diuini, qui conſiſtit in vera inuocatione, prædicatione, gratiarum actione. Hic contra papa figulus idolorum, induens Deum tot formis, quot Prothea ſuum poetæ habere fingunt, ſtatuas & imagines circumfert & adorat. In tertio præcepto alligat nos Deus ad Legem & teſtimoni-
Iſa. 8. monium, hoc eſt, ad Sacroſanctam Scripturam & Verbum ſuum. Contra papa extollit ſe ſupra Scripturam, & vocat ſe Dominum ſcripturæ, arrogat ſibi autoritatem interpretandi ſacras literas, vt fundamentum & lumen fidei, Sol & ſplendor veritatis, cui liceat determinare ea quæ ſunt fidei, condere nouos articulos, conſcientias ſine Verbo adſtringere, neceſsitate, obœdiendi. Scripturam eſſe imperfectam, mutilam, mancam; traditiones humanas habere parem autoritatem cum Scriptura, eſſe verè Apoſtolicas, licet manifeſtè pugnent cum Scriptura, eadem fide eſſe credenda qua illa, quæ manifeſta habeant teſtimonia. In quarto præcepto ſancit & conſtituit Deus ordinem politicum. Sed hunc confundit Papa cum regimine Eccleſiaſtico, adfectat imperium mundanum, quod ciuili tantum poteſtati conuenit, ſumit ſibi poteſtatem reges & principes deponendi de ſua dignitate, & regna transferendi. Supra cæſares, reges & principes effert, & comparat ſe hic oculus excœcatus, ſuperbus & maledictus cum ſole & auro: Cæſares, reges, principes, cum Luna, ſtellis, plumbo. In quinto Præcepto, traditur in ma-

nus politicæ ordinationi gladius: illum Papa ſummus homicida contra mandatum Chriſti & Pauli rapit. In ſexto præcepto inſtituit Deus coniugium honorabile inter omnes. Papa econtra impurum præcipit cœlibatum, matrimonij doctrinam vocat ianuam impudicitiæ, facem libidinis. Ipſe papa leno omnium ſummus & maximus, patronus ſcortorum, adulter peſsimus, ex coniugio facit proſtibulum Veneris, quod Deus commendat, ipſe vituperat, cui Deus benedicit, maledicit, quod Deus copulat, lacerat Sodomita ille & Sybarita impuriſsimus. Peccatum ipſi non eſt mille ſcorta alere, flagitium omnium maximum & morte piandum legitimè vxorem ducere. Plagiarius eſt idem, rapit enim parentibus liberos, clandeſtinas deſponſationes approbat. In ſeptimo præcepto Deus diſtinguit dominia rerum, prohibet furtum. Papa omnium furum maximus, debebat paſcere gregem Domini, non regere arces & opes, non ducentorum aut trecentorum equitum turma ſtipatus incedere, id enim nunquam factitârunt, Chriſtus, Petrus, & Apoſtoli reliqui, qui ſimplici cultu victuq; contenti fuerunt. Sed Simoniacus & ſacrilegus ille, rapit regna, ducatus, ditiones, arces, vrbes, oppida, quæ debentur magiſtratui ſeculari. Deuorat præterea Epiſcopatus, Sacerdotia, & totius orbis opes & ſubſtantiam. Froſſardus mentionem facit Apologi, quo tacitè perſtringitur rapacitas Romani Vulturis, cuius autor eſt Iohannes de Rupe ſciſſa, qui floruit ſub Innocentio 6. Annó Chriſti 1360. Cum enim Eccleſia Romana Auenione conſideret, pro concione ſuperbiam,

Mat. 20. Lu. 22. Rom. 13. Hebr. 13.

Iohan. de Rupe ſciſſa Monachus. Vide Froſs. lib. 1. cap. 21. lib. 3. cap. 24.

Comment. item de regno aut quouis principatu rectè administrando, aduerſus Machiauel. Florentinũ. fol. 299.

luxum, libidines & rapinas Papæ, Cardinalium, Prælatorum, ſic taxauit. Fortè inquit, quædam auis olim inter cæteras enata eſt, omnium conceſſu pulcerrima, ſed implumis. Eam mox cæteræ certatim viſunt: atque eas cum admiratione pulcritudinis miſeratio ſimul inceſsit, quòd illa inopia pennarum cum aliis volare non poſſet. Quid fit? Cœtus auium cogitur, deliberatur, qua ratione
„ conſulatur illi, ne inopia & nuditate intereat. Fit
„ decretum, vt ſingulæ illi de ſuis plumis aliquot lar-
„ giantur: largiuntur haud malignè: quò magis ea
„ plumis ſeſe veſtit, eò fit formoſior; itaque cæteræ
„ plumas certatim conferunt. Sed poſteaquàm illa
„ ſe ſatis decoram, & à cæteris auibus coli ſenſit, ſu-
„ perbire, inſoleſcere, reliquas aſpernari; neque deſpi-
„ cere tantùm, ſed roſtro ferire & inſectari cœpit.
„ Indignatæ aues concilium conuocant, conſilium
„ ineunt, quid de aue tàm ingrata & ſuperba ſtatu-
„ endum ſit. In eo concilio ſententia vicit quæ cen-
„ ſebat, optimum fore, ſi ſingulæ plumas ſuas repete-
„ rent, quæ tantos illi ſpiritus feciſſent. Extemplò ad
„ auem illam conuolant cæteræ, ſuperbiam & ingra-
„ titudinem exprobrant, plumas quæque ſuas euel-
„ lunt, & nudam relinquunt. Ita vobis haud dubiè
„ eueniet, ſi Cæſar cæterique Principes eripuerint vo-
„ bis iſtas opes diuitiaſque, quas ipſorum liberalitate
„ congeſtas per luxum & turpitudinem conſumitis,
„ nudi reſtabitis. Hæc de Apologo in Vulturem rapaciſsimum & Pauonem Romanum ſuperbiſsimum, in quem non malè quadrat illud Horatianũ:

Si repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum.

In

In octauo præcepto requirit Deus veritatem. Sed quandò loquitur Papa veritatem? Totus Papatus conſutus & conflatus eſt ex meris mendacijs & calumnijs, & patrem Diabolum ſequitur ſua proles. In nono & decimo præcepto prohibetur fœda concupiſcentia. Sed illa noſtris Papaſtris aſinis non eſt peccatũ, ſed tantum in homine quiddam naturale. Hoc pacto Papa inuerſus Decalogus, non tantùm Decalogum peruertit & inuertit, ſed totam doctrinam de Lege, de peccato, ſomnijs humanis contra Dei verbum horribiliter adulterat ac deprauat.

Fidei doctrinam in Symbolo compræhenſam, quæ nota eſt & teſſera veræ Eccleſiæ furioſi aduerſarij impiè & nefariè eneruant, dubiam omninò faciunt, nec cum Scriptura definiunt, eſſe hypoſtaſin rerum ſperandarum, & elenchum non apparentium, ſed tantùm notitiam & adſenſionem, & multa alia blaſphema ſpargunt. Primum articulum de Creatione, & creaturis Dei bonis & puris, peccatis polluunt, fingunt vbi non eſt peccatum. Secundum articulum horribilibus blaſphemijs κυνόλογοι adficiunt denuò crucifigunt, occidunt, ſepeliunt & negant Chriſtum, eius obœdientiam & meritum, & ſubmiſcent fermentum Phariſaicum, ſua bona opera & merita congrui & condigni. Hoc eſt contumelia adficere ſanguinem Ieſu Chriſti roſeum, qui ſolus emundat nos ab omni peccato. Sic abominatio illa in loco ſancto, Deum facit ficulnum, Chriſtum ex oculis & memoria hominum aufert, funi & pediculoſo cucullo vim ſaluandi tribuit, conſcientijs perturbatis omnem conſolationem adimit, lapidem angularem, & ful-

Peccata Papæ contra Symbolum. Hebr. 11.

1. Ioh. 1. Mat. 24.

men proſternens Mahometiſmum, Papatum, portas inferorum, ſummus hic fidei noſtræ hoſtis oppugnat & labefactat. Sed quid reſpectu vnius guttulæ ſanguinis Chriſti ſunt operum σκύβαλα, & pannus menſtruatus? Tertium articulum fœdiſsmis etiam erroribus contaminat Sus Romanus. Eccleſiam dicit eſſe illam, cui præeſt Romanus Epiſcopus, paſtor Oecumenicus. Et Romanam Eccleſiam matrem, magiſtram, Dominam omnium, eius autoritatem maiorem quàm ſacræ ſcripturæ, in fide errare non poſſe, nec erraſſe vnquàm. Doctrinam de remiſsione peccatorum, qua mens perturbata tutò acquieſcere poteſt, implicat papatus impius infinito mari operum, ſatisfactionum, ieiuniorum, quibus ſui delicti veniam peccatorem conſequi ſtatuit. Sed nugæ ſunt & Satanæ dolus: nunquam enim ſemel hoc mare ingreſſi portum attingunt. Conuerſionem, renouationem; ſanctificationem, quæ pura ſunt Spiritus ſancti opera, tribuit viribus liberi arbitrij, quod peccatum eſt in Spiritum ſanctum, non enim creaturæ conuenit, quod ſolius eſt omnipotentiæ diuinæ, & confirmat Theologiam Ariſtotelis impiam, rationem hortari ad optima, ſiue naturalia in homine manſiſſe integra, ſiue συντήρησιν eſſe in voluntate, vt Sophiſtæ Scolaſtici nugantur. Hoc eſt cum Sophiſtis egregiè ſophiſticari, Chriſtianiſmum in Ethniciſmum, theologiam in philoſophiam conuertere, cum Epicuro aut dementem aut incredulum

Rom. 1. fieri, aut, vt cum Paulo loquar, tradi in reprobam mentem, & facere quæ non conueniunt. Ratio enim aut viam contemtus, quæ omnium ſcelerum

fons

ſons eſt, aut viam blaſphemiæ ingreditur: & ſi quandò à veritate aberrat, & vmbras amat, in tenebras proijcitur. *Auguſtin. de vera relig. cap. 6.*

Oratio Dominica docet, Deum ſolum inuocandum, nec alium Mediatorem apud Patrem cœleſtem habere Eccleſiam, quàm Ieſum Chriſtum. Papa docet, Sanctos vt patronos, defenſores, interceſſores eſſe adorandos. Doctrinam de Inuocatione, quæ eſt aſylum, clypeus & arma piorum, conuertit Bos Romanus in boatum, orat in ventum ſine Spiritu & Veritate, fide & deuotione, recitans horas canonicas annos quadraginta continuos, non vnam horam rectè & ex animo orat. Labijs tantùm Deum honorat, cor procul eſt ab ipſo. Expers tentationum ſpiritualium, mortes & infernos, quibus quotidiè ſancti exercentur, non videt nec intelligit. Quod anſer in templo, id Papa in Pſalterio. Baptiſmi doctrinam impoſtor ille mirè deprauat & eneruat, profeſsionem Monathatus, inquit, æquè eſſe efficacem vt Baptiſmum, Profeſsionem Monaſticam ſuſcipientibus, nomina in Baptiſmo indita mutat, quaſi ſordeſcant. Tranfert in ignominiam Filij Dei autoris Baptiſmi vſum à creaturis animatis & rationalibus ad res inanimatas, baptizat campanas, quaſi illæ impulſæ & inſonantes, à poteſtate Satanæ ſint immunes, & tempeſtates prohibeant. In Baptiſmi actione Hiſtrionem papa agit egregiũ. Non ſolum enim ſignat baptizandum ſignaculo crucis in fronte, pectore, oculis, naribus, auribus, ore, ſed etiam dat ſal benedictum in os, exſufflat forâs ſpiritum malignum, tangit aures, & nares cum ſaliua, vngit inter ſcapulas,

Errores contra Orationem Dominicam.

Iſa. 29. Mat. 15.

Gen. Luth. cap. 19. fol. 142. b. edit. Norib.

Falſatio Baptiſmi.

pulas, chriſmate in vertice, dat cereum accenſum in manus, & quas alias agitat ineptias, contra ipſum inſtitutionis ritum.

Depravatio doctrinæ de Confeſsione, pœnitentia & cœna Domini.

Ex doctrina de confeſsione facit carnificinam conſcientiarum, flagitat enim enumerationem omnium peccatorum, quæ eſt impoſsibilis iuxta dictum Pſal. 19. Ex poteſtate clauium iuriſdictionem politicam, claues adulterinas, ſacrilegium & ſpolium. Doctrinam de pœnitentia & remiſsione peccatorum, quæ lumen eſt doctrinæ cœleſtis, ponit non in fundamento Verbi & fidei, ſed in operibus & meritis, corrumpit, deprauat, & tenebris inuoluit denſiſsimis indulgentiarum commento, quo extenuat & diminuit officium & meritũ Chriſti, qui ſolus eſt propiciatio pro noſtris peccatis, non pro noſtris tantùm, ſed pro totius mundi peccatis. Cœnam Domini in horrendam idolatriam transformat, fingit panem conſecratum mutari & conuerti in corpus Chriſti, includit in capſulam, circumgeſtat, inuocat. Mutilat eandem, & ſuffuratur alteram ſpeciem ποτηριοκλίπτης, calicem Laicis adimit, contra expreſſa verba inſtitutionis. Facit ex Cœna Miſſam ſeu ſacrificium, quod mereatur remiſsionem peccatorum & alia bona, facienti, & ĳs quibus applicetur, viuis & mortuis, liberat animas ex purgatorio.

1. Iohan. 2.

Confuſio trium Hierarchiarum.

Tabulam Oeconomicam, de tribus Dei Hierarchĳs, in qua ſinguli ſtatus & ordines ſui officĳ admonentur, extremè peruertit & in contemtum abducit. Hierarchiam Eccleſiaſticam in formam politicæ gubernationis mutat, Ordinem politicum, ſtatum Oeconomicum floccipendit & extremè

odit vt peccatis pollutum & imperfectum, ſuum econtra ementitum & impuriſſimum cœlibatum ſummè prædicat. Chriſtum eijcit ex Eccleſia hic ſacrilegus, magiſtratui adimit autoritatem, ſceptrum, coronam, œconomiæ dignitatem. Opera Chriſtianorum deſpectiſsima in oculis mundi, coràm Deo ſunt precioſiſsima, fulgent in conſpectu Dei, angelorum & totius Eccleſiæ, veſtita ſunt cœleſti luce, fiunt enim in fide & confeſsione Verbi. Econtra Papatus opera & cultus, Deo ſunt abominabiles, peccatum & ſtercus fœtidum, carent enim verbo, fide & obœdientia à Deo præcepta. Quidquid non eſt ex fide peccatum eſt, inquit Paulus.

In Geneſ. Tom. 3. cap. 29. fol. 98. Item, Tom. 4. cap. 45. fol. 159. b. edit. Norib.

Rom. 14.

Hæc de erroribus & peccatis Antichriſti in præcipuis Catechiſmi partibus quaſi in tranſcurſu propter ſimplicem iuuentutem breuiter monui. Non inſtitui integrum texere catalogum, omnium errorum, blaſphemiarum, abuſuum, idolatriarum, ſuperſtitionum, nugarum, ineptiarum, hortorum Adonidis, obominationum Epicuri illius Romani maximi, de quibus ſexcenta volumina ſcribi poſſent, niſi Dei beneficio hoc monſtrum eſſet mundo patefactum in ſcriptis Lutheri, Philippi, Brentij, Auguſtana confeſsione & huius Apologia, libro Doctoris Tilemani Heshuſij de Eccleſia, de ſexcentis erroribus Romanæ pontificiæ Eccleſiæ, de doctrinæ Ieſuitarum præcipuis capitibus, & aliorum vtilibus ſcriptis contra papatum hoc noſtro ſeculo editis. Tantùm idæam doctrinæ Epicureæ pontificiorum propoſui, vt videant omnes piæ mentes, quanto veneno mellificium Spi-

ritus ſancti dulciſsimum venefica Aranea Romana infecerit, quantaſq; clariſsimæ luci tenebras offuderit. Et vt è contrario innoteſcat omnibus, quanta fiat iniuria doctrinæ Lutheri, quam profitentur & amplectuntur Eccleſiæ reformatæ, quòd non ſit doctrina Epicuræa, ſed in omnibus partibus conueniat cum norma ſcriptorum propheticorum & Apoſtolicorum. Hinc colligi nunc poteſt non obſcurè, quàm triſti ſeruitute oppreſsi, quàm duro carcere retenti fuerint maiores noſtri ſub papatu, & etiamnum hodiè opprimantur & retineantur miſeræ conſcientiæ tricis pontificijs implicitæ, elabi neſcientes. Quàm neceſſarium, quàmq; vtile fuerit, horrendas tenebras detegi, Eccleſiam repurgari, Lupum graſſatorem, deſtructorem, deprauatorem veræ doctrinæ, confuſorem ordinum, diaboli Apoſtolum, cum toto ſuo regno, arce & munitione diaboli, Eccleſia Cainica, omnibus laruis & ſpectris, vniuerſo terrarum orbi reuelari, ouiculas rectè paſci in paradiſo Domini, abduci à fide operum ad fidem ſaluantem. Tàm neceſſe fuit reuelari papam beſtiam infernalem, vt ipſa etiam rerum natura ei inuiſa, ex imis terræ viſceribus teſtimonium ediderit publicum, diuina ità diſpenſante prouidentia, quòd ex hoc Mansfeldenſi comitatu prodierit ille, qui papæ ſcelera, nullis antè ſeculis tàm clarè patefacta, in lucem produxiſſet. Nam anno 1539. Mansfeldiæ è fodinis metallicis effoſſus eſt lapis fiſsilis, in quo apparuit pontificis Romani effigies, ornata triplici corona aurea, & veſte pontificali aureis quaſi filis & purpura contexta, os, oculos & nares hominis referens, in

Exemplum memorabile de reuelatione Papæ in Comitatu Mansfeldenſi factæ.

in ſella ſplendida ſedens, deniq; dextram manum ſubleuans, in quã tanquam gemmam contemplans intuebatur, qua abſq; dubio ſplendor falſæ doctrinæ coram humanæ rationis iudicio ſignificatus fuit. De hoc effoſſo lapide extat Epigramma Zach. Prætorij. *Zach. Pratorius.*

Dũ peteret bello Cæſar te IANE FRIDERICE
Oſtentans pacem relligione noua:
Hic lapis eſt venis è Mansfeldenſibus ortus
Pontificis referens os tricoronigerum.
Totus erat Satanas in eo tunc, vt ſtabiliret
Collapſos Latij regis vbiq; Deos.
Ergò pontificem pingit fingitq; triumphans,
Conſilium eluſit ſed Deus ipſe malum.

Aliud Iohannis VVolfij. *Iohan. VVolfius.*

Ecce papam patriæ gignunt tibi viſcera terræ
Luthere, vt ſternas hunc calamo, ore pio.
Sedibus infernis nata eſt hæc beſtia tetra,
Doctrinæ autorem noueris vnde papæ.

Etſi autem naturæ induſtria fictæ in venis metallicis ſubterraneis per aliquot orgyas abſconditis, & inprimis in lapide fiſſili reperiuntur imagines & formæ variorum piſcium, auratarum, percarum, & ſimilium, vt vſu & experientia compertum eſt, & Georgius Agricola meminit aliquoties: mirandum tamen eſt, & miraculum ſtupendum & ſu- *Georg. Agricola lib. 1. de rat. foſs.*

 ſpicien-

fol. 182. ſpiciendum, quòd natura ad ſignificandam doctri-
ibid. lib. 10. næ repurgationem & abrogationem idolatriæ Pa-
fol. 371. piſticæ, res diuinas atq; adeò veritatem ipſam in mutum ſimulacrum & lapides tranſtulerit, & fiſsilibus quaſi typis aureis impreſſerit Baptiſmum Chriſti in Iordane, effigiem Chriſti & alia, quæ ali-
Iohan. Albert. Com. Mansfeld. Cyriacus Spangeberg. quando illuſtris & generoſus dominus Iohannes Albertus comes Mansfeldenſis, & M. Cyriacus Spangebergius ſpectatum exhibuerunt. Nec dubium eſt, quòd ipſa natura rerum, pingens ac fingens caput papæ triplici corona circumcinctum,
Tom. 1. Ienger. edit. prior. fol. 324. taxare voluerit ſuperbiam, luxum, auaritiam & arrogantiam papæ, quòd contra mandatum & exemplum Chriſti, Petri & Apoſtolorum conſtituat ſe
Tom. 5. edit. 2. fol. 228. von den Schlüſſeln. cæſarem in cœlo ſuper angelos, cæſarem in terra ſuper homines, cæſarem in inferno ſuper diabolos, tribuat ſibi potentiam cœleſtem, terreſtrem, infernalem, vel conſtituat ſe dominum Aſiæ, Africæ,
Tom. 8. fol. 233. edit. 2. wider das Bapſtumb zu Rom. Europæ, quòd nihil habeat Chriſtianum, Petrinũ, & Apoſtolicum, & Chriſtus, Petrus, Apoſtoli, nihil habeant papale. Petrus enim fatetur & docet Chriſtum Filium Dei viui, papa docet ſeipſum, ſuas glorias & potentias. Ille fidem requirit in Filium Dei, papa obœdientiam in ſuas Satanicas auaritiæ leges & conſuetudines. Ille futuram vitam, papa temporalem tyrannidem.

Tom. 2. Ienger. fol. 286. prior. edit. Anno 1496. Romæ in Tybri inuentus eſt papaſinus mortuus, monſtrum admodum horrendum, habens caput aſininum, loco manus dextræ pedem Elephanti, manum ſiniſtram hominis, dextri pedis loco vngulã bouis, ſiniſtri pedis vnguem Gryphis, vterũ & vbera mulieris, in crure vtroq;

brachijs

brachijs & collo ſquamas piſcium, in poſterioribus caput & barbam ſenis decrepiti, draconem aperientem fauces & euomentem ignem. Huic portento Philippus Melanthon addidit interpretationem talem. Caput aſininum ſignificat papam, venditantem ſeſe pro externo capite Eccleſiæ, ita vt quemadmodum corpori humano quadrat caput aſini, eodem modo habeat ſe papa ad caput Eccleſiæ. Pes Elephanti loco dextræ ſignificat regnum pontificium, conterens & onerans conſcientias intolerabili mole traditionum. Siniſtra manus humana imperium papæ politicum ſiue cæſareopapatum. Pede dextro vngula bouis paraſitaſtros pontificios, & columnas huius impij regni. Siniſtro pede vnguis Gryphis, rapacitatem canoniſtarum. Venter & vbera muliebria, ventres & porcos cathedræ Romanæ addictos. Squamæ piſcium principes politicos confirmantes brachio ſeculari idolomaniam & tyrannidem pontificiam. Caput ſenis decrepitum, decrementum & interitum papatus. Locus Romæ, quòd papa Romanus ipſiſsimus ſit Antichriſtus. Eadem eſt ratio Monachouituli Fribergenſis in Miſnia, geſtantis cucullum Monaſticum, quem etiam diabolus ſimulans ſanctitatem crebrò induere in eoq; habitu apparere ſolet, ad ſignificandum, quòd totus papatus ſit cultus fictitius, diabolicus & hypocriticus, *Tom. 2. fol. 289. b.*

Quia ergò papalis Eccleſia non Chriſtum docet, ſed contrà, & perſequitur, clarum eſt, non Chriſti Eccleſiam, nec Petri, ſed diaboli, & Iudæ Iſcariotis ſcolam, lernam & ſentinam eſſe, & in ſuis inſignibus, non claues Petri, ſed loculos aut marſu- *Tom. 4. Ien. lat. edit. prior. in Matt. cap. 16. fol. 359. b.*

 pium

pium Iudæ Iſcariotis, vſurpare debere. Huius propriè eſt ſucceſſor. Sub nomine enim Chriſti rapit & furatur quæ ſunt in orbe, ſicut ille ſub Chriſti nomine furabatur ea quæ mittebantur.

IIII. *A ſignis præſentia & efficacia Spiritus ſancti in Luthero infallibilibus.*

Delineato aliquo modó Lupo Romano, laniante & deuorante doctrinam puram, Deum propicium, remiſsionem peccatorum & ipſum cœlum, detrudente in infernum & mortem æternam, adiicio quartam demonſtrationem, manifeſta ſcilicet & infallibilia ſigna præſentiæ & efficaciæ Spiritus ſancti, illuſtria & vera pietatis indicia, admiranda dona & virtutes, quæ in Luthero ſancto & electo Dei organo conſpicuæ, & præ mille aliis eximiæ fuerunt: ex quibus certò apparet, ſine inſpiratione & auxilio diuino Lutherum in reformanda doctrina Eccleſiæ nihil quidquàm proprio Marte tentare auſum. Hæ inquam, virtutes, dona & ornamenta, in ipſo non fuerunt vulgaria, qualia multis contingunt, ſed exquiſita, ſed rara, ſed ſingularia, non humana, ſed planè diuina, quibus ipſi ab Apoſtolorum tempore vel anteferri vel conferri potuit nemo.

1. *Fides Lutheri ardens & viua.*

Primùm in Lutheri corde eluxit fides per Spiritum ſanctum accenſa, ardens & viua immotis verbi diuini fulcris adeò innixa, vt nec viſiones, nec apparitiones, imò nec angelum, quem de cœlo prouocare potuiſſet, expeteret, ſed ſibi dari à Deo certum ſenſum & intellectũ Dauidicum Scripturæ ſanctæ, ardentibus votis precaretur. Verbum habenti, aiebat, Deus & angeli adſunt, in via veritatis dirigitur, ne facilè falli aut errare poſſit: Verbum ſiue Euangelium, Baptiſmus, vſus clauium,

Gen. 4. parte edition. Norimb. cap 40. fol. 61. a. b.

um, cœna Domini, noſtra ſunt Epiphania omnium
illuſtriſsima, & multò illuſtriora, quàm Patriar-
charum & Prophetarum, quia in ĳs habemus De-
um non ſolum appropinquantem nobis & inuiſibi-
liter inſtillantem ſuos radios, ſed etiam corporali-
ter in nobis inhabitantem. Hac fidei inſtructus atq;
armatus πληροφορίᾳ animus eius fortis & inuictus, ſu-
ſtinuit ac vicit, non mortis tantùm terrores, impe-
tus & in ſultus Satanæ, ſed mille diabolos, infernũ
ipſum ceruicibus ſuis impoſitũ, & omnes flammas
inferni in ſe effuſas. Dolorem incredibilem contra- *Tom. 3. Ien.*
xit, & naufragium ſalutis ſe feciſſe opinatus eſt, *germ. edit.*
quòd indignus fuerit à Deo exiſtimatus, propter *2. fol. 402.*
nomen Chriſti exuſtulari, & ſanguinem profun- *404.*
dere. Vnica & ſolida ipſius petra, victoria & tri-
umphus fuit, ſola fides in Chriſtum Mediatorem
vnicum, qui factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſti-
tia, ſanctificatio & redemtio: ſine quo & extra *1. Cor. 1.*
quem nulla ſpes, nulla recreatio, nulla conſolatio,
nulla lætitia, nulla vita, ſed omnia damnatio, mors,
infernus, ignis. In corde meo, inquit, iſte vnus
regnat articulus, ſcilicet fides Chriſti, ex quo, per *Tom. 4. Ien.*
quem, & in quem, omnes meæ diu noctuq; fluunt *lat. ad Gal.*
& refluunt theologicæ cogitationes. Iuſtificatio- *fol. 1.*
nis articulo amiſso ſciuit ſimul amiſſam totam do-
ctrinam Chriſtianam, ideò ex eo reſecauit, propriæ
ſapientiæ, virtutis, iuſtitiæ humanæ, meritorum,
operum, ſanctitatis ſacrilega ſarmenta, & magna
animi contentione adſeruit hunc articulum: Sola
fide iuſtificamur ſine operibus: addiditq; ſingulari *Tom. 5. Ien.*
quodam Spiritus ſancti inſtinctu, manſurum, nec *edit. 2.*
labefactatum iri, vel à Cæſare Romano, vel Ty- Gloſe auff
ranno das vete

meinte Key- ſerlich E- dict. fol. 298 a. b.

ranno Turcico, Tartarico, Perſico Rege, Papa, Cardinalibus, Epiſcopis, Canonicis, Monachis, Sacrificulis, Regibus, Principibus, vniuerſo mundo, omnibus diabolis & inferorum portis. Hæc in eo ſingularis fuit παῤῥησία Spiritus.

2. *Precatio Lutheri ardens.*

Tom. 1. Iſleb. fol. 42. a. b.

Deinde ex hoc puriſsimo fidei fonticulo pulcerrimi multarum illuſtrium virtutum promanârunt riuuli. In precatione quàm ardens fuerit ſpiritus Lutheri, multis exemplis doceri poteſt. Extat formula precationis, qua vſus eſt vir Dei in comitijs VVormatienſibus, plena ſpiritus, ardoris & fidei, in qua patheticis verbis vota cordis ardentia & gemitus inenarrabiles, vt Moſes ad mare rubrum effundit, appellat Deum patrem, & in negotio religionis diuinum implorat auxilium, quemadmodũ liberi certa fiducia parentes orant, certiſsimum ac perſuaſiſsimum ſibi habens, Deum patrem cœleſtem eſſe omnipotentem, tùm in exauditione, tùm in opitulatione. In comitijs Auguſtanis quanto cum ſpiritu & fiducia orauerit, teſtatur Vitus Theodorus, in epiſtola ad Philippum Melanthonem, in qua non obſcurè oſtendit, verba ſibi propemodùm deeſſe, quibus ardentiſsimum eius adfectum in oratione exprimat, quem ſine dubio ex magno illo ardore & feruore verbi diuini conceperat, quod vrit & viuit in cordibus credentium, præſertim in conflictibus cum Satana, morte, peccato, inferno. Fuiſſe etiam in Luthero ſingularem quandam vim fidei ac motum animi heroicum, qualis fuit in Ioſua, Samuele, Elia, Eliſæo, Dauide, Paulo, cum quibus ſummis viris non immeritò eſt comparandus Lutherus, exemplum Myconij teſtatur. Cum enim

Tom. 5. Ien. edit. 2. fol. 117. a.

Mattheſius in vita Lutheri. fol. 88.

Fride-

FridericusMyconius grauiter decumberet & conſumeretur φθίσει, Lutherus ardentibus votis, & quidem ſine conditione ad exemplum Ioſuæ petebat, vt Deus ipſi vitam prorogaret, vſus his verbis: Petiui à Deo mi D. Friderice, vt me prius mori ſinat, quàm hic rumor ad me perueniat, Fridericum Myconium diem ſuum obijſſe: ſed efficiat, vt ego te in emigrando ex hac vita anteuertam. Hoc ego ſeriò & ex animo peto, & volo vt Deus huic meæ petitioni annuat, & voluntas hæc mea fiat. Certus enim ſum, quòd hæc mea voluntas gloriam nominis Dei, non meam gloriam aut voluptatem ſpectet. Huic precationi reſpondit euentus: Conualuit enim Myconius, & ſexennium amplius ſuperſtes fuit. Talem precationem admirari quidem nobis, imitari non licet.

Fridericus Myconius precibus Lutheri valetudini reſtituitur. Tom. 7. Ien. edit. 2. fol. 393.

3. Conſtantiæ & perſeuerantiæ in confeſsione exempla in Luthero multa ſunt illuſtria, quæ & ipſa certiſsimum ſunt indicium & teſtimonium manifeſtum habitantis in pectore eius Spiritus ſancti, accendentis fidem & huius incrementa benignè largientis, vt in publicum erumpat, liberrima voce & infracto pectore confeſsionem edat, poſthabita omnium periculorum vel magnitudine vel durabilitate. Tentârunt pontificij varijs modis animum Lutheri, vt à propoſito ſuo abducerent, ſed neq; comminationibus pœnarum frangi, neq; pollicitationibus honorum, pecuniæ, dignitatum ineſcari potuit. Quemadmodum enim domus extructa ſuper firmiſsimam rupem, nullis pluuiarum, fluminum & ventorum procellis euertitur: ita ædificati ſuper lapidem viuum & petram ſoli- *Mat. 7.*

Conſtantia Lutheri inſignis in Confeſsione.

K dam,

Epheſ. 2. dam, qui eſt Chriſtus Dominus, tanquàm mons Si-
Pſal. 125. on non commouentur, ſed aduerſus impetus inſultuſq; furentium diabolorum, & inſidioſiſsimas omnis generis tentationes firmiter ſubſiſtunt, neq; ſe deŋci de gradu dimoueriq; loco patiuntur. Eodem modo Iohannes Fridericus ſanctiſsimæ & laudatiſsimæ memoriæ, electus Martyr Ieſu Chriſti, Dux adflictorum, Princeps confeſsorum fidei, comes veritatis, Signifer ſanctæ crucis, exemplum patientiæ & conſtantiæ, hæres vitæ æternæ, nullis tentationum illecebris adduci potuit, vt Sphingis Auguſtanæ decreta in libro Interim propoſita amplecteretur, ſed animi fortitudine ſingulari doctrinam Eccleſiarum noſtrarum vt plane conuenientem cum Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis acerrimè defendit. Et cum nec ipſius liberi ad cæſaris placitum factum in religione decretum approbarent, ſed tùm ſcriptis tùm concionibus oppugnari permitterent, & cæſar grauiter de eo quereretur, & captiuum principem ſolicitaret, vt liberis inhiberet, reſpondit: ſe filŋs autorem eſſe non poſſe, vt quod ipſe pacata conſcientia facere nequeat, hoc illi faciant. Lutherum cum in comitŋs Auguſtanis vehementer vrgeret Thomas Caietanus cardinalis, legatus & orator pontificius, vt palinodiam caneret, & tantùm tres ſyllabas, re, vo, co, pronunciaret, ne latum quidem digitum cedere voluit, ſequi inde adfirmans, alias tres ſyllabas, Oc, ci, de, alludens haud dubiè ad dictum Chriſti: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in

Iohannes Fridericus Elector Dux Saxoniæ.

Sleidan. lib. 20. 21.

Tom. 1. Iſleb. fol. 3. a. Tom. 4. Martyr. fol. 16. Sleid. lib. 1. Matheſius in vita Lutheri fol. 14.

Mat. 10.

in gehenna. Et repetiuit aliquoties has voces: Nolo audire hæreticus, potius moriar, igne cremabor, exulabo, & fiam anathema. Item: Incluſi penitus meam voluntatem in Dei voluntatem, & tantum abeſt vt vnum fidei apicem retractare & reuocare velim, vt potius centies quater iugulum meum ab hiſce meis ceruicibus enſe recidendum præbere decreuerim. Interrogauit Hieronymum Aleandrum ciuis quidam primarius, quare Lutherum vt taceret, non pecunia corrumperet: huic reſpondit Aleander: tentatum quidem eſt aliquoties, ſed hæc Beſtia pecunia ſe non ſinit expugnari: egimus cum Fuggero, vt ipſi numeraret quatuor millia aureorum, ſi hoc pacto poſſet ei os obturari. Vocatus VVormatiam vrbem Vangionum, vt coràm ſtatibus imperÿ fidei ſuæ confeſsionem ederet, & præmonitus ab amicis, diſſuadentibus ne propter impendens vitæ periculum iſtuc commigraret: reſpondit magno animo: Mihi verò qui vocatus ſum, decretum & certum eſt ingredi vrbem in nomine Domini Ieſu Chriſti, etiamſi ſcirem tot diabolos mihi oppoſitos, quot ſunt tegulæ in omnibus totius vrbis tectis. Et cum ſtatus imperÿ categoricum ab ipſo poſtularent reſponſum, ſimpliciter reſpondit: Dabo illud neq; cornutum, neq; dentatum, in hunc modum: Niſi conuictus fuero teſtimonÿs ſcripturarum, aut ratione euidente (nam neq; papæ neq; concilÿs ſolis credo, cum conſtet eos erraſſe ſæpius & ſibi ipſis contradixiſſe) victus ſum ſcripturis à me adductis, captaq; eſt conſcientia in verbis Dei, reuocare neq; poſſum neq; volo quidquam, cum contrà conſcientiam agere

Tom. 4. Martyr. fol. 50. a.

Tom. 1. Ien. ger. edit. prior. fol. 487. b. 491. a. Tom. 2. lat. Ien. edit. prior. fol. 436. a. 438. a.

neq; tutum ſit neq; integrum: Hie ſtehe ich / Ich kan nicht anders / Gott helff mir / Amen. Tempore confeſsionis Auguſtanæ ſuborta tempeſtate noua, tanquam murus aheneus conſtitit immotus, omni contemto periculo, & conſolatus eſt non ſolum ſe & amicos publicè & priuatim, ſed etiam Iohannem Saxoniæ Ducem Electorem adhortatus eſt ad conſtantiam, & pſalmum 46. eleganti & admodum pathetica paraphraſi tranſtulit. Cum Philippus Melanthon Auguſtam miſſus, in cæſaris & pontificiorum fremitu & comminationibus animo eſſet admodum ſolicito & anxio, non quidem ſui, ſed ipſius exitus & poſteritatis cauſſa, ſeq; mœrori, ſuſpiriis, lacrymis totum daret, crebris cum Lutherus erigebat literis: & quia non hominum ſed omnipotentis Dei eſſet hoc negotium, monebat vt omni depoſita ſolicitudine ac grauiore cogitatione totam molem in illum reiiceret. Cur, inquiens, ad hunc modum te crucias & adfligis ipſe? Si Filium ſuum Deus pro nobis impendit, quid trepidamus, quid metuimus, quid angimur, quid triſtamur? An Satanas eſt illo potentior? an qui tantum nobis beneficium contulit, in rebus leuioribus nos deſeret? cur mundum à Chriſto debellatum reformidamus? Si malam cauſſam defendimus, cur non mutamus propoſitum? ſi piam, ſi iuſtam, cur Dei promiſsis non confidimus? præter vitam nihil certè Satanas eripere nobis poteſt: at viuit tamen, & in ſempiternum regnat Chriſtus, in cuius tutela conſiſtit veritas, is non deſinet eſſe nobiſcum ante conſummationem ſeculi. Si verum non eſt, quòd Deus pro nobis tradidit Filium ſuum, optarim

Paraphraſis Pſal. 46. de qua Sleidan. lib. 16.

Tom. 5. Ien. edit. 2. fol. 42. Sleidan. lib. 7.

rim diabolum meo loco vel hominem vel aliquam ipſius creaturarum eſſe. Timidos & meticuloſos in iſto præſenti periculo perſtringebat inſigni hypotypoſi ſumta à cœlo minitante ruinam, quòd nullis niti columnis Atlanticis videretur, & animum ſimul addere volebat, ne papiſtas, Thraſones magniloquos, minaces & feroces, cœlum territantes armis, nimium metuerent, ſi fractus illaberetur orbis.

Tom. 5. Ien. edit. 2. fol. 119. b. in Epiſt. ad D. Gregor. Pontanum Cancellarium Ducum Saxoniæ Electorum. D. Nicol. Selnec. in Gen. cap. 41.

Habet præterea Lutherus præ omnibus alijs ſcriptoribus Eccleſiaſticis hanc laudem, in eoq́ ſolus palmam obtinet, quòd in erudiendis & conſolandis adflictis mentibus mirus fuerit artifex, multis & varijs tentationibus, cribrationibus Satanæ & agonibus edoctus, nouerit omnes rationes, ſauciatis mentibus, ignitis telis diaboli vel quibuscunq́ alijs caſibus, tentationibus ac malis expoſitis, certiſsima, exquiſitiſsima & efficaciſsima ex ſacris literis remedia adferre, quæ non tantum cicatricibus, ſed vulneribus quoq́ mederentur. Exegeſin item ſuam ad captum auditorum tanta dexteritate & felicitate accomodauit, vt ſinguli antidotum in ſuis tentationibus, firmam, ſolidam & efficacē conſolationem, in ſacris literis ſundatam, perciperent. Plus enim habet neruorum, plus ſpiritus, plus vitæ ac conſolationis vnicus Lutheri paragraphus, quàm omnium papiſtarum commenta in vnum aceruum conflata: Qui ſi omnes neruos intendant, omnia ſua conſilia atq́ auxilia conferant, non tamen poſſunt cor contritum & humiliatum ſolida Scripturæ conſolatione erigere. Illud enim non minus eſt miraculum, quàm mortuum excitare.

4. Admiranda ſolertia & experientia Lutheri in conſolandis conſcientijs perturbatis.

 Inter-

Interrogatus aliquandò Lutherus à quodam ſuo conuictore, quî nam poſſet ita concionari & conſolari, vt quiſque auditorum ad ſe propriè ſuas conciones pertinere arbitraretur, non aliter ac ſi ipſi auditorum corda paterent, cuiuſque adflicti tentatio nota eſſet, & penetralia cordis introſpiceret: reſpondit, Meæ variæ & multiplices tentationes ita me erudierunt, & multiplicia certamina non paſſa ſunt, me κενόδοξον aut φίλαυτον eſſe.

Donum interpretandi Scripturas ſingulare, & dexteritas in explicandis partibus doctrinæ.

5. In vocatione quò ad vixit, labores ſuſtinuit verè Herculeos, & ſudoribus ſuis adſiduis Eccleſiæ prodeſſe ſtuduit. Et ita quidem profuit, vt poſt Apoſtolorum tempora ſimilem non habuerit, nec habitura deinceps. Etiamſi enim, teſte Amſdorfio, omnes comentarij veteres & recentes in vnam maſſam conflentur, & id quod optimum eſt, ex eis decerpatur, non tamen cum huius viri ſcriptis conferri & comparari poſſunt. Biblia ſancta ex Hebræa lingua conuertit in noſtram vernaculam, tanta perſpicuitate & elegantia, vt paraphraſis Lutheri germanica vice commentarij haberi poſsit, & multæ in Germania aulæ proprietatem & puritatem linguæ Teutonicæ inde didicerint. Huius verſionis reſpectu, reliquæ paraphraſes omnes, vt Eccij & aliorum, nec caput, nec cor, nec pedes habent. Et ſimiles ſunt hi interpretes oratoribus Romanis, ad pacem faciendam inter Nicomeden & Pruſiam miſsis, quorum vnus caput cicatricibus ſparſum habuit multis, alter pedibus æger, tertius ingenio ſocors erat, vt Florus refert. Explicationem librorum præcipuorum Scripturæ propheticæ & Apoſtolicæ poſteritati reliquit vir Dei,

D. Nicolaus Amſdorfius in præfat. Tom. 1. latini.

Translatio Bibliorum germanica.

Florus in Epit. Liuij lib. 50.

Commentarij in libros Bibliorum.

Dei, non ſine ſtupenda donorum Dei admiratione, dono interpretādi ſcripturas verè diuino ornatus, par ſummis prophetis & Apoſtolis, ſpiritu, virtute, ſapientia, eruditione, eloquentia & experientia rerum, & omnium ſanorum iudicio, Theologorum princeps. Singula doctrinæ capita in ſuis ſcriptis, admiranda perſpicuitate, felicitate, verborum copia, ſententiarum grauitate tractauit, & ſingula ſuper fundamentum prophetarum & Apoſtolorum ædificauit. Ac primum de verbo Dei ſeu Scriptura veteris & noui teſtamenti ſenſit ac docuit, quòd non ſit ſapientia humana ſed diuina, habens autorem Spiritum ſanctum, cuius lingua non eſt leuis aut ocioſa: & per eundem Spiritum ſit patefacta in miniſterio verbi, quod in Eccleſia ſemper conſeruat, & per ipſum animos hominum excitat. Quòd Scriptura eo quo ſcripta ſpiritu ſit intelligenda, nec immiſcenda hominum commenta: Scriptura non ſecundum Auguſtinum, ſed Auguſtinus ſecundum Scripturam intelligi debeat; quòd Scripturæ obtineant principem locum, in omnibus quæ patribus tribuuntur; quòd non niſi verba diuina prima Chriſtianorum principia eſſe debeant; quòd nullius papæ aut Sancti opponi debeat autoritas, niſi ſcripturis munita. Hæc Spiritus ſancti eſt Theologia, ex fontibus Iſraëlis hauſta. Inquit enim: Beatus vir, qui in Lege Domini meditatur die ac nocte. Item: Principium verborum tuorum veritas. Item: Omnis Scriptura diuinitus inſpirata. Hæc etiam piæ & orthodoxæ antiquitatis eſt ſententia. Sic enim inquit Auguſtinus. Per Scripturam nobis loquitur ipſe

Summa ſiue σύνοψις doctrinæ Lutheri, Scriptura & patribus conſentanea.

De Scriptura ſancta.

Tom. 3. in Gen. edit. Norib. cap. 25. fol. 1.

Item Tom. 4. cap. 43. fol. 119.

Tom. 3. Ien: lat in Ioel. cap. 2. fol. 507.

Tom. 4. lat. in Ioel. cap. 3. fol 807.

Tom. 2. Ien. lat. in adſert. contra Bull. Leon. X. fol. 309.

Pſal. 1.

Pſal. 119.

2. Tim. 3.

Deus

Auguſtin. ad Iulian. Ep. 3. Deus & Dominus noſter, & piæ voluntatis nobis demonſtrat effectum. Ecce de cœlo cœlorum Rex Regum & Dominus dominantium, imò & Redemtor noſter per prophetas & apoſtolos dignatus eſt nobis dirigere literas ſuas. *Auguſt. de doctrina Chriſtiana.* Idem: Titubat fides, diuinarum Scripturarum vacillat autoritas. Et Hieronymus. *Hieron. ad Tit. cap. 1.* Sine autoritate ſcripturarum garrulitas non habet fidem. Idem: Quod de ſcripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. *In 23. cap. Matth.* De legis diuinæ vſu docet Lutherus cum Scriptura & Paulo, augere transgreſsiones, hoc eſt, reuelare homini ſuum peccatum, cæcitatem, miſeriam, impietatem, ignorantiam, odium, contemtum Dei, mortem, infernum, iudicium. *De Lege Dei Tom. Ien. lat. 4. ad Gal. cap. 3. fol. 101.* Idem vnanimi conſenſu docuerunt patres. Irenæus. *Irenæus lib. 3. cap. 20.* Spiritualis cum lex eſſet, manifeſtauit tantummodò peccatum, non autem interemit. Auguſtinus. *Auguſt. de peccat. mer. lib. 2. cap. 7.* Si quæratur, vtrum in hac vita aliquis ſit ſine peccato, eſſe non credo: magis enim credo ſcripturæ, vbi Sanctorum vox eſt: *1. Iohan. 1.* Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Peccatum dicit eſſe Lutherus cum Scriptura, *De peccato 1. Iohan. 3.* quidquid repugnat legi Dei, hoc eſt, peccatum non ſolum ſignificat opus externum, ſed totam illam vim & natiuam energiam, incredulitatem ſeu cognatam prauitatem, qua ex veteri Adamo impellimur & rapimur ad peccandum. *In præfat. Ep. ad Roman.* Et definit eſſe totum lapſum naturæ humanæ, quo intellectus eſt obſcuratus, voluntas deprauata. Huc patrum doctrina conuenit. Auguſtinus vocat vitia noſtra, quæ legi mentis ex lege peccati reſiſtunt. Ambroſius, de-

lectatio-

lectationem mandato diuino aduerſam, Hilarius corpora noſtra vocat omnium vitiorum materiam. Viribus humanis ſeu ſeruo arbitrio Lutherus cum ſcriptura & patribus omnem vim ſiue facultatem applicandi ſe ad gratiam, in ſpiritualibus adimit. *De Seruo arbitrio.*

In Articulo iuſtificationis, qui caput eſt noſtræ religionis, nititur Lutherus cum ſcriptura & patribus, nulla actiua ſed ſola paſsiua iuſtitia, fidei ſiue Chriſtiana, quam Deus per Chriſtum nobis abſq; operibus imputat, qua nihil operamur aut reddimus Deo, ſed tantùm recipimus, & patimur alium operantem in nobis, ſcilicet Deum: cuius cauſa eſt meritum & obœdientia Chriſti, quem nobis Euangelium proponit propiciatorem fide appræhenſum. Hæc eſt quaſi σύνοψις quædam doctrinæ Lutheranæ concordantis in omnibus partibus cum doctrina Prophetica & Apoſtolica, de qua olim ſic iudicauit Staupicius: Hoc mihi placet, quòd hæc doctrina quam prædicas, gloriam & omnia ſoli Deo tribuit, hominibus nihil. *De iuſtificatione.* *Tom. 4. lat. Ien. in arg. ad Gal. fol. 4.* *Tom. 4. in Pſal. 51. fol. 386. item fol. 115. ad Gal.*

Hanc blaſphemat & calumniatur Lupus famelicus, & Epicuri doctrinam vocat. Hoc quid aliud eſt quæſo, quàm ex Chriſto & Spiritu ſancto Epicurum facere? O hominem blaſphemum, hominis vocabulo indignum, mirum qui non hiatu terræ, vt Chore, Dathan & Abiron abſorbeatur, niſi immenſa Dei miſericordia, patientia & longanimitas pœnitentiæ ſpacium concedat, vel os illud Diabolicum & Epicureum die nouiſsimo ad ſupplicium ignis æterni reſeruet & iudicium ſuſpendat. Sed ita in regno diaboli & filiorum ipſius comparatum eſt, vt diabolus ſit iuſtus & ſanctus, Chriſtus & Apoſtoli καθάρματα & hæretici. *Lupus famelicus.* *Num. 16.*

Summa ſiue σύνοψις doctrinæ papiſticæ, cum ſcriptura & patribus diſſentanea.

tici. Videamus igitur ex Antitheſi fidem & religionem papiſticam, ſiue Megæræ Romanæ, quàm bellè concordet cum norma doctrinæ propheticæ & Apoſtolicæ, & puræ antiquitatis, & an non verius religio papiſtica ita ſpiret & ſapiat Satanicam & epicuream theologiam, vt ouum ouo ſimilius eſſe non poſsit. Non enim Spiritus ſancti doctrina, ſed merè diabolica blaſphemia eſt adſerere.

De ſacra Scriptura.

Catech. Roman. Cenſur. colon. Catech. Caniſij. Lindan. Pet. à Soto, ἄσωτος. Lindan: Alb. Phigius. Cenſur. Col. Caniſius. VVolff. Herman. Cenſur. Col. Lindan. Andradius.

Non eſſe ſolùm Dei verbum quod in ſacra Scriptura continetur, ſed etiam patrum traditiones carentes teſtimonio ſcripturæ, pro certo Dei verbo eſſe habendas. Scripturam eſſe imperfectam, mutilam, mancam, non continere omnia quæ ad ſalutem ſcitu ſint neceſsaria, defectum ſarciendum aſſumento traditionum, non ſufficere ad refellendas omnes hæreſes, eſſe difficilem & obſcuram, dubiam, incertam, ſimilem plumbeæ regulæ lesbiæ ædificationis, cereum habere naſum, eſſe mutum magiſtrum, ſine autoritate Eccleſiæ valere quantum fabulas Æſopi, eſſe materiam litis, nullam extitiſſe hæreſin, quæ non ex ſacris Scripturis occaſionem acceperit, Scripturæ ſenſum natiuum, verum & indubitatum ab Eccleſia Catholica petendum. Quid crudelius? quid ignominioſius vel à Turcis vel à Iudæis in ſacroſancta Spiritus ſancti oracula dici, fingi & excogitari poſſet? Impietas eſt & crimen leſæ maieſtatis diuinæ adſeuerare, vt Marcolfus papiſticus docet,

De Lege. Lindan.

Legem Dei moralem nos in hac vita non obligare, ſed docere tantùm quò tendere & niti debeamus:

Cenſur. Colon.

non id omne peccatum eſſe quidquid legi Dei repugnet: multa peccata eſſe quæ voce Legis non arguantur: primos concupiſcentiæ motus eſſe

tus eſſe citra noxam peccati. Confundere item diſcrimen legis & Euangelij, ex Chriſto Moſen, ex Moſe Chriſtum facere, eſt ignorare iuſtitiam Chriſti, confuſio Satanica & infernalis. Qui benè nouit diſcernere Euangeliũ à Lege, ſciat ſe eſſe Theologum, inquit Lutherus: ergo qui non diſcernit ſed confundit, non pro theologo, ſed carnifice eſt habendus. Pelagianiſmus eſt & ethniciſmus, quòd adſerunt Pontificij, liberum arbitrium eſſe facultatem rationis & voluntatis eligendi bonũ adſiſtente gratia, vel malum eadem deſiſtente. Liberum arbitrium quò ad res ſpirituales non prorſus eſſe peccato extinctum vel ſublatum, ſed tantùm fractũ & attenuatum. Hominem ex puris naturalibus poſſe Deum diligere ſuper omnia, exiſtentem in peccato in Chriſtum credere. Gentes potuiſſe eam notitiam Dei comparare ex Philoſophia, quæ ad ſalutem & fidem in Deum ſatis eſſet. Naturalia in homine manſiſſe integra, peccatum naturalia non mutaſſe, licet gratuita abſtulerit. Mentem humanam multa per ſe intelligere, quæ ad cognitionem diuinarum rerum pertineant. Hominem plus poſſe præſtare quàm Lex Dei flagitet, & poſt lapſum etiam habere rectum lumen rationis. Blaſphemia eſt in mortem & ſanguinem filij Dei dicere, peccatum originis eſſe minimum peccatum, minus minimo peccato veniali, eſſe tantùm debitum pœnæ pro peccato Adæ, non culpam, non eſſe propriè peccatum. Concupiſcentiam fuiſſe etiam in natura integra ante lapſum, nec peccatũ eſſe ſed quemadmodum curſus Solis eſt naturalis, ita & concupiſcentiam naturalem eſſe homini. Peccatum ori-

Tom. 4. Ien. lat. ad Gal. cap. 2. fol. 41.

De viribus humanis.

Pet. Lomb. lib. 2. Diſtin. 24.

Trid. Concil. Seſs. 6. cap. 1.

Gab. Biel.

Andrad.

Thom. Aquin.

De peccato.

Tapper.

Fran. Monach: Colon.

Andrad.

De Iuſtificatione. ginis non indigere pœnitentia. Theologia Sophiſtica & blaſpema doctrina eſt, negare hominem gratis, ſola gratia, ſiue gratuita Dei miſericordia

Trid. Concil. Seſs. 6. Can. 11. & 9. iuſtificari corã Deo, imputatione iuſtitiæ ſeu obœdientiæ Chriſti iuſtum eſſe, & peccatorum remiſſionem accipere. Docere, hominem iuſtificari fide quò ad initium, & incoationem iuſtificationis, iuſtitiam fidei caritate infuſa impleri, non iuſtifica-

Cenſur. Col. ri ſola fide in Chriſtum, caritatem inhærentem & qualitates infuſas eſſe formale noſtræ iuſtitiæ.

Thom. Aquin. Ambros. Catharinus. Tapp. Chriſtum tantùm pro peccato originali eſſe paſſum & mortuum, & meruiſſe ſua paſsione & morte primam tantùm gratiam, meritum Chriſti eſſe quidem cauſſam vniuerſalem noſtræ ſalutis, ſed ad quam etiam particulares accedere oporteat. Chriſtum quidem ſua morte plenè ſatisfeciſſe pro peccatis mundi, non tantùm pro culpa, ſed etiam pro pœna, non tantùm æterna, ſed & temporali, non autem per efficientiam, ſed per ſufficientiam. His blaſphemijs & ſimilibus, nugis nugaciſsimis, ſomnijs inaniſsimis, adficit impium regnum Antichriſtianum officium Mediatoris noſtri Ieſu Chriſti, quem verbis quidem papiſtæ retinent, ſed reipſa ſepeliunt, & ex hominum oculis & cordibus exemtum cupiunt. Fœdiſsimis erroribus commaculant precioſiſsimum noſtrum theſaurum, in quo conſiſtit ſalus noſtra, & anxijs conſcientijs omnem conſolationem adimunt, viam ad æternam ſalutem intercludunt, contra teſtimonium infallibiliſsi-

Act. 4. mum: Non eſt in alio quoquàm ſalus: nec aliud nomen eſt ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri, quàm in nomine Ieſu Chriſti. Et

ſti. Et contra teſtimonia piæ & puræ antiquitatis. Inquit enim Auguſtinus contra merita papiſtarum: Si vis alienus eſſe á gratia, iacta merita tua. *Auguſt. præfat. Pſal. 51.* Et Bernhardus: Sufficit ad meritum ſcire quòd non ſufficiant merita. *Bern. Serm. 63. in Cant.* Idem alibi. Neceſſe eſt primùm omnium credere, quòd remiſsionem peccatorum habere non poſsis, niſi per indulgentiā Dei: *Serm. 1. in Annunc. Mar.* Deinde quòd nihil habere queas operis boni, niſi & hoc dederit ipſe: poſtremò quòd vitam æternam nullis potes operibus promereri, niſi gratis detur & ipſa. Hæc eſt collatio noſtræ doctrinæ conſentientis cum norma Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ & orthodoxa antiquitate, & doctrinæ papiſticæ tàm á Scriptura quàm á pura orthodoxia diſſentientis: quam inſtitui quidem non in omnibus ſed in aliquibus tantùm partibus, vt cœcus etiam palpare poſsit, noſtras Eccleſias Theologiam Spiritus ſancti, fidem & religionem Eccleſiæ Catholicæ, pontificiam verò Eccleſiam, Dæmoniorum doctrinas, Theologiam Epicuream, Ariſtotelicam, mendacia, nugas, impoſturas, hæreſes, blaſphemias, profiteri, adſerere, defendere. Quod idem adfirmat Lutherus nobiſcum in refutatione condemnationis 17. Articulorum M. Arſatij Sehoferi ab Academia Ingolſtadienſi editæ. *Tom. 2. len. germ. edit. prior. fol. 432. b.* Poſita theſi & antitheſi veræ & falſæ doctrinæ redeo ad Lutherum noſtrum. Is præterea libello Catechetico breui & ſuccincto, quem parua Biblia iure vocamus, vniuerſam theologiam ita complexus eſt, vt non ab homine, ſed Spiritus ſancti digito ſcriptus videatur, ſtans ſicut murus aheneus contra omnes impuros, adulterinos & ſuppoſititios Catechiſmos pontifici- *Paruus Catechiſmus Lutheri.*

 orum,

orum, Sacramentariorum, & id genus ſanaticorum. Encomion huius Enchiridij tale ſcripſi, quod etſi offendat pontificios, addo.

Encomion parui Catechiſmi.

Viua Dei digito ſignata in corde Lutheri
Iſte Catechiſmi verba libellus habet.
Scripturæ ſuccus latet hic, mel dulce, medulla,
Plus ea ſex mundis gemmula mille valet.
Huic inuiſa ſuam ſubmiſcet aranea telam,
Sed fuge: Si ſapiunt Biblia parua ſapis.

Et certè ſi Lutherus in toto vitæ curriculo nihil cum vtilitate aliqua coniunctum præſtitiſſet, in eo tamen operam nauaſset vtiliſsimam, quòd Catechiſmum Eccleſijs & Scolis familiarem reddiderit & notum fecerit, & in eo articulum iuſtificationis rectè illuſtrauerit. Pro quo vnico beneficio totus mundus nunquàm parem ipſi poteſt referre gratiam. Nam ſub papatu pontifices, Epiſcopi, Cardinales, Doctores, Monachi, planè Catechiſmi fuerunt ignari. Fatetur Matheſius in vita Lutheri quod 25. annos in papatu tranſegerit, nec vnquàm pro concione audiuerit, Decalogum, Symbolum, orationem Dominicam, Baptiſmum. Idem meminit Lutherus aliquoties in ſuis ſcriptis. Habemus præterea huius viri beneficio inſignes & pias explicationes Euangeliorum in poſtillis, Eccleſiaſtica & Oeconomica, ex quibus ipſi etiam Monachi concionandi artem diſcunt, vt meminimus Monachum Bauaricum dixiſſe: Se ſi Lutheri Poſtilla deſtitueretur, nihil populum vtiliter docere poſſe.

Poſtilla Lutheri, Eccleſiaſtica & œconomica.

Et

6\. *Miracula & prophetia Lutheri.*

Et quia Deus nunquàm magnum Prophetam & Doctorem Eccleſiæ excitauit, cui non certa miracula attribuerit, nec Lutheri vocationem & πολίτευμα miraculis carere voluit. Miraculum eſt, quòd nullis munitus humanis præſidijs Romanum pontificem adgreſſus eſt, & euidentiſsimis ſacræ Scripturæ teſtimonijs probauit, ipſum eſſe vere Antichriſtum. Miraculum eſt, quòd omnes ſuæ ætatis hæreticos, fanaticos, ſeditioſos, papiſtas, cœleſtes prophetas, Enthuſiaſtas, Sacramentarios, Stencfeldianos, Anabaptiſtas, diſputando & ſcribendo repreſsit, & ſcriptis ſuis terrorem omnibus aduerſarijs incuſsit. Excitandi mortuos, & ſimilia faciendi miracula etſi à Deo donum impetrare potuiſſet, nunquàm tamen tale quippiam ab ipſo petere, ſibi in animum inducere voluit, ſed dixit, ſe contentum eſſe dono prophetiæ, quo cumulatiſsimè eſſet à Deo ornatus, & quidem magis, quàm vnquàm petere vel optare auſus fuiſſet.

Philippus Melanthon precibus Lutheri ſanitati reſtitutus.

Philippum Melanthonem Vinariæ lethaliter decumbentem ſine ſpe & indicijs vitæ longioris, viribus ad extremum vſq; attenuatum, creditur ardentibus ſuis precibus è media morte reuocaſſe. Noluit enim hoc tàm nobile & vtile Eccleſiæ organum diuinum morte tàm intempeſtiua abreptum iri.

Lutherus propheta & tertius mundi Helias.

Prophetam Germaniæ fuiſſe Lutherum, & verè tertium illum Heliam, qui paulò antè nouiſsimum diem venturus ſit, & inſtauraturus Eccleſiam collapſam, plus quàm ſexcentis ipſius vaticinijs partim impletis partim adhuc implendis demonſtrari poteſt. Conqueſtus de flagitioſa hominum ingratitudine, ſecuritate, contemtu verbi & beneficiorum diuinorum, quæ ipſi

ſæpè

ſæpe acerbiſsimas lacrymas excuſſerunt, prædixit horrendas pœnas Germaniæ, priuationem Verbi, incrementa hæreticorum & falſorum Doctorum, mutationes regnorum, bella, profuſiones ſanguinum, ſeditiones, caritatem annonarum, difficultatem omnium rerum, famem, peſtem, extremam vaſtitatem & interitum Germaniæ finalem, qualem prophetæ & Chriſtus populo Iudaico & Hieroſolymæ prædixerunt. Bellum Cæſareanum, captiuitatem Electoris Iohannis Friderici, obſidionem VVitebergenſem ſpiritu præuidit, & prædixit nullum bellum ſe viuo & ſuperſtite in Germania exarſurum. Erat enim verè alter Moyſes, electus Dei, qui ſtetit in confractione in conſpectu eius, vt auerteret iram eius, ne perderet: & addidit hæc verba: Me mortuo, quieſcente & dormiente & vos orate. Cæterùm de propheti̅s Lutheri editus eſt liber ſeorſim à Iohanne Lapæo, in lingua vernacula; in quo commendatur miniſterium & doctrina Lutheri, refutatur Romanus Antichriſtus, & omnes falſæ doctrinæ adſertores, inuitatur Germania ad pœnitentiam, prædicitur totius regni pontifici̅ interitus. Quem libellum vt diligenter legant adoleſcentes pietatis ſtudioſi, omninò neceſſarium ſtatuo. Idem habet teſtimonium Lutherus, quòd Germaniæ ſit propheta, diuinitus excitatus & vocatus, iudicio clariſsimorum Eccleſiæ Dei hoc ſeculo luminum, Amſdorfi̅, Melanthonis, Pomerani, Myconi̅, Brenti̅, Regi̅, Alberi, Morlini, VVelleri, VVigandi, Heshuſi̅, Marbachi̅, & aliorum complurium, quorum paucorum teſtimo-

Tom. 1. Isleb. in 18. cap. Iohan. fol. 430. a.

Pſal. 106.

Tom. 8. Ien. fol. 345. b. edit. ſecunda.

Iohan. Lapæi liber de vaticini̅s Lutheri.

Iudicia noſtri ſeculi Doctorum de Luthero.

teſtimonio veraci credendum eſt magis, quàm infinitæ papiſtarum turbæ mendaci.

7\. *Zelus & παῤῥησία Lutheri ardens in taxandis peccatis.*

Quàm ardens & vehemens fuerit Lutheri Zelus & παῤῥησία in taxandis peccatis, pluribus exemplis demonſtrari poſſet, ſi in infinitum orationem extendere vellem. Hæreticos & falſos Doctores, blaſphemiam, abuſum nominis diuini, contemtum verbi, negligentiam parentum & magiſtratuum, inobœdientiam liberorum, homicidia, adulteria, vſuras, furta, rapinas, calumnias, obtrectationes, fœdam concupiſcentiam, & naturæ humanæ extremam corruptionẽ accerrimè taxauit, vt teſtantur omnia ipſius ſcripta & conciones. Prælatos magnos, papam, cardinales, Epiſcopos, Tyrannos & hoſtes Eccleſiæ, ſuis nominibus, vt par eſt, notauit, aſinos, ſtultos, proditores, obſeſſos à diabolo, idq; autoritate & exemplo prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, qui Iudæos, phariſæos, hoſtes doctrinæ, eiuſmodi nominibus notârunt, in teſtimonium, quòd Deus poſuerit os eius quaſi gladium acutum, & quemadmodum magnus ille Eraſmus inquit, quòd Deus dederit huic poſtremæ ætati propter morborum magnitudinem acrem medicum, qui purulentiam morbido pecori abſtergeret, & vulnus ſolide ſanaret. Vidit totum papatum nihil eſſe aliud, præter congregationem dæmonum & hominum peſsimorum, ſpeluncam latronum, theatrum diabolorum. Ideò veluti Alexander Magnus nodum Gordium, ita ipſe laqueos impiæ pontificiorum doctrinæ machæra verbi diuini diſcidit. De Lutheri patientia, manſuetudine, animo pacifico, non canente claſsicum ad ſeditiones

Iſa. 49.

Eraſmus Roterodamus.

Definitio papatus.

6\. tiones & bella, ſed adhortante ad colendam pacem
Aliæ virtutes in Luthero inſignes. & concordiam, principes, nobiles, & reliquos ſtatus, ipſius ſcripta teſtantur, ad quæ pium lectorem remitto. Non enim tâm auguſtum tàmq; inexhauſtum virtutum oceanum anguſta capit oratio. Hæc præcipua ſunt ſigna & notæ, præſentiæ Spiritus ſancti in pectore Lutheri, quæ nemo ab Apoſtolorum tempore tàm habuit illuſtria. Hoc ſi vel negant, vel calumniantur papiſtæ, fateri omnes oportet, ipſos eſſe Epicuros, Lucianos & Sadducæos, quales verè & reipſa ſunt, qui nec Deum, nec prouidentiam diuinam, nec cœlum, nec infernum, nec diabolum credunt.

V\. Quintam demonſtrationem vocationis & do-
A curſu, propagatione & conſeruatione Euangelij admiranda. ctrinæ Lutheri cœleſtis & diuinæ, deduco ab admirando curſu & conſeruatione Euangelij, quod hactenus nullis conſilijs, nulla vi, nullis inſidijs, pontificij delere & opprimere potuerunt, etiamſi omnibus viribus id tentauerint aliquoties. Cum concilium Hieroſolymitanum perſequeretur Apoſtolos, Gamaliel vt deſiſterent pontifices ab impe-
Act. 5. tuoſo propoſito hortator erat, inquiens: Diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos: Quoniam ſi ex hominibus conſilium & opus hoc, diſſoluetur: Si verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere illud, ne fortè & Deo repugnare videamini. Hoc conſilio moniti papiſtæ cogitare debebant, de irritis ſuis conatibus, quòd non ſit ſapientia, non prudentia,
Prouer. 21. non conſilium contra Dominum, quòd perſequendo Euangelium, perſequantur veram Eccleſiam Ieſu Chriſti, imò Chriſtum ipſum, nec tàm Chriſto quàm ſibi ipſi noceant. Regem enim hunc non detur-

deturbabunt de ſuo ſolio in quod eum Deus pater collocauit. Eſt autem illa vera Dei Eccleſia, non quæ alligata eſt ad concilia, aut ordinariam ſucceſſionem Epiſcoporum, nec quæ iactitat externas tantùm pompas, ſplendida altaria auro rutilantia, tot aurea & argentea idola, fulgentia gemmis, veſtibus precioſis induta, aureos & argenteos calices, triplicatas coronas, varios galeros, diſcolores cucullos, boatuum vlulatus, campanarum tonitrua, & ſimiles ineptias: Sed quæ audit vocem Chriſti veri & vnici paſtoris & capitis Eccleſiæ, nec verbum Chriſti perſequitur & blaſphemat, velut impia pontificiorum caterua, ſed ſanam verbi doctrinam, purè ac ſyncere, docet, habet Baptiſmum, poteſtatem clauiū ſeu abſolutionem, legitimum vſum cœnæ Dominicæ, extructa ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, exiſtente ſummo angulari lapide Ieſu Chriſto, in quo totum ædificium coagmentatum creſcit in templum in Domino.

Deſcriptio veræ Eccleſiæ.

Eph. 2.

Diuinitus autem fuiſſe defenſum Lutherum & eius doctrinam, aduerſus omnes inſidias, artes, & machinationes papiſtarum fraudulentas, euidenter ex hiſce manifeſtis & minimè obſcuris ſignis apparet. Primò, quòd his nouiſsimis temporibus Euangelij doctrina miniſterio Lutheri repurgata, non modò in Germaniam, ſed etiam in Italiam, Gallias, Angliam, Daniam, Sueciam, Scotiam, Poloniam, Lituaniam, Liuoniam, Moſcouiam, Vngariam, Bohemiam, imò in ipſam Turciam, Græciam & Africam, propagata eſt. Nec dubium eſt, ipſum Romanum pontificem, & principes ponti-

Lutheri diuinitus defenſi exempla.

1.

Propagatio Euangelij in exteras nationes.

ficios in ſuis aulis fouere nolentes volentes, qui doctrinam Euangelij amplectuntur, ſicut Rex Ægypti Pharao in ſua aula Moſen ferre cogebatur, qua in re Deus diuinam ſuam omnipotentiam mirificè oſtendit. Licet igitur ira, odio, & inuidia accendantur & contabeſcant papiſtæ, quemadmodùm & iamdudum multi dolore ſunt exſtincti, cum viderent omnes ſuos conatus in opprimendo Luthero irritos eſſe, Deus tamen mirabiliter & glorioſè ſuam Eccleſiam, regit, tegit, ſeruat & liberat, vt diabolo & eius organis ægrè faciat, ſuos conſoletur, & ad veram fiduciam erga ſe inuitet. De palmæ arboris natura ſcribunt Gellius, Ariſtoteles & Plutarchus, quòd peculiare quiddam ipſi inſit. Nam ſi ſuper eius lignum magna pondera imponas, ac tam grauiter vrgeas, onereſq́; , vt magnitudo oneris ſuſtineri non queat, non deorſum cedit, nec infra flectitur, ſed aduerſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur recuruaturq́;, quaſi reſiſtens oneri vim facienti. Eadem prorſus etiam Euangelij eſt natura. Quò enim acrius ei hoſtes aduerſantur, eò progreſſus facit altiores & feliciores. Quò maiore conatu quæritur eius oppreſsio, eò fortius inſurgit. Quò plus ſanguinis effunditur, eò magis creſcit cœtus piorum, vt Tertullianus inquit: Sanguis Martyrum ſemen eſt Eccleſiæ.

Gell lib. 3. noct. Atticar. cap. 6. Ariſtot. lib. 7. problemat. Plutarch. in 8. Sympoſ.

Tertullianus.

2. Irrita conſilia & conatus pontificiorum aduerſus Lutherum.

Deinde, quòd factio pontificia, nullis artibus, dolis, inſidijs, veneficio, Lutherum è medio tollere, nec curſum eius in reſtituenda puriore Euangelij doctrina impedire potuerunt, quos habuit contra ſe papas, Cardinales, Epiſcopos, Sacrificulos, Cæſarem, Reges, Principes, Imperium Romanum,

manum, Academias, Doctores. Marcellus Palingenius ſtellatus poeta, egregius pontificum & Monachorum vexator, apparatum bellicum Clementis 7. ad tollendum Lutherum feſtiuè deſcribit. *Marcell. Palingenij capricornus lib. 10.*

Sed nunc ſummus parat arma Sacerdos
Clemens, Martini cupiens abolere Lutheri.
Atq́; ideò Hiſpanas retinet nutritq́; cohortes:
Non diſceptando aut ſubtilibus argumentis
Vincere, ſed ferro mauult ſua iura tueri,
Conſiliū valeat, valeant commenta Lutheri,
Pontifices nunc bella iuuant, ſunt cætera nugæ:
„*Nec præcepta patrum, nec Chriſti dogmata curant.*"

Sicarios & percuſſores multos à pontificijs ſubornatos ad tollendum Lutherum, vel veneno necandum, certum eſt. Venit quidam Vitebergam venditans ſe pro Cæſaris cancellario, qui colloquium Lutheri expetiuit, quem & Lutherus honorificè excepit ac manum porrexit. Huius diabolicum propoſitum erat, Lutherum globo tormentario traijcere, id quod non obſcurè ex ſuis ipſius verbis & geſtibus coniectari potuit. Eodem tempore ab Epiſcopis polonicis ablegatus erat in Germaniam alius quiſpiam, Iudæus & Medicinæ Doctor, cui polliciti erant duo aureorum millia, ſi Lutherum per inſidias tolleret. Hoc conſilium cruentum vbi innotuit Vratislauienſibus, clàm Lutherum *Tom. 1. Isleb. fol. 24. b. 25. a.*

 adhor-

adhortati ſunt, vt ſibi ab iſto impoſtore & parricida diligenter caueret. Et antequàm hic adueniret, alius quidam pragenſis Bohemus eaſdem inſidias

Pſal. 33. Luthero parauit. Sed qui finxit ſigillatim corda

2. Reg. 15. eorum, qui intelligit omnia opera eorum, conſilium Ahitophelis infatuauit. Eiſdem fortunæ telis

D. Iuſti Ionæ periculum & liberatio diuina. expoſitus fuit vir optimus & ſanctiſsimus Doctor Iuſtus Ionas, qui in bello, quod Imperator Carolus V. cum principibus Germaniæ geſsit, capitaneum quendam coactus eſt hoſpitio excipere, cui Imperator mandata dederat, vt eum occideret, ſed Deus flexit animum capitanei, vt viro tàm graui & præſtanti nullam poſſet adferre vim, ſed ſaluum & illæſum è manibus dimitteret. Exiſtimauit Lutherus, ſæpiſsimè ſuggeſtum & manubria veneno illita, & alia quæ manibus attrectanda eſſent, venenum item ſibi aliquoties propinatum, ſed conſeruatus fuit diuinitus, iuxta promiſ-

Mar. 16. ſionem Chriſti: Si quid lethale biberint, non nocebit eis. Dicitur Luthero in comitĳs VVormatienſibus, cum cœnaret apud Treuirenſem porrectum eſſe poculum vitreum, quod cùm crucis ſigno notaret, & ori admoueret, in aliquot partes ſ actum. Proſcripto Luthero à Cæſare, & multorum principum odio expoſito, qui hinc inde horrendis edictis aduerſus ipſum tonabant, Deus admirando conſilio, quemadmodùm centum prophe-

3. Reg. 18. tis ab Obadia abſconſis furente Ahab & Ieſabella, de neceſſario præſidio & latebris proſpexit, & ex-

Tom. 1. Isleb. fol. 26. 27. citauit animum pluſquàm centum nobilium ſtrenuorum & piorum, qui Lutherum in ſuam tutelam recipere voluerunt, inter quos præcipuè claruerunt,

ruerunt, Vlricus Huttenius acerrimis ſcriptis papam Antichriſtum oppugnans, Franciſcus à Sickingen, Sylueſter à Schaumberg, Hartmutus à Cronberg, & alij plurimi. His prouidentiæ & protectionis diuinæ exemplis Lutherus animum recepit, ſolitus vſurpare has voces: Intra annos mille non extitiſſe ſanguinem nobiliorem & cariorem Luthero. Tot enim pontifices, cardinales, Reges, Principes, Epiſcopos, fuiſſe proditores, parricidas & carnifices Lutheri, ſed ſpe ſua deiectos. Chriſtum traditum & venditum à Iuda triginta argenteis: Papiſtas multa aureorum millia expoſuiſſe, nec tamen efficere potuiſſe, vt proderetur ac traderetur Lutherus. Hoc vnicum eſſe ſuum ſolatium, quòd papiſtæ ineant conſilia, indicant concilia, comitia, quibus nihil videatur formidabilius, & tamen aliud in cœlo, quàm Noribergæ in conuentu pronunciatum & concluſum eſſe. Nihil ſe curare hoſtes, quamuis nouem diebus Tyrannis pluat. Non opus ſibi eſſe patrocinio & defenſione Electoris, venire ſe ſtipatum ac munitum tutela longè fortiori, quàm à ſeculari brachio per Electorem vnquam præſtari poſsit. E ſua doctrina Electorem nihil detrimenti capere: ſub ſua protectione tutum eſſe Electorem: parum ſibi eſſe, quin in agmina diabolorum inſiliat.

Tom. 3. Ien. ger. edit. 2. fol. 331. a.

Tom. 2. Ien. ger. edit. prior. fol. 60. b. 2. lat. fol. 545. b.

3. Teſtimonia Euangelicæ veritati ab aduerſarijs & pijs aliquot pectoribus ſub papatu degentibus data.

Tertiò, quòd ipſi aduerſarij nolentes volentes & multa pia pectora ſub papatu, Euangelicæ veritati teſtimonium dederunt.

Anno 1521. Die 13. menſis Iulij, cum Antuerpiæ libri Lutheri comburerentur præſente Carolo Auguſto per Aleandrum & lictorem, adſtitit Egmon-

Vrſperg. paraleip. fol. 479.

Egmonda & alij: ferunt prætorem Antuerpianum ſubridendò dixiſſe, cum illum alloquerentur Aleander & Egmonda: Conſilium impiorum non adiuues. Plebeius quidam interrogauit, quid opus eſſet accenſa teda & carnifice, cum alioquin ignis adeſſet? quidam reſpondit, iſtum honorem haberi, quia verba Domini comburerentur. Alius, inquit: melius eſſe ligna venundari, vt Romæ pædicones iſto precio comburerentur.

Tom. 1. lat. Ien. edit. prior. fol. 388. a. b.

Iohannes Poduſcka presbyter Eccleſiæ Cathedralis B. Virginis Pragæ ſic ſcribit ad Lutherum. Hoc vnum in te miramur, quòd inter tot Euangelicæ veritatis æmulos, doctrinam Chriſti & Apoſtolicam liberè & publice prædicare nequaquàm addubites, oblitus interim tot calumnias, maledicaq; plurimorum verba, quibus quidquid non placet, illicò hæreticum eſſe oportet, hominum mente corruptorum & ad omne opus bonū reproborum, non intelligentiū (vt verbis Apoſtoli vtar) neq; quæ loquuntur, neq; de quibus adfirmant. Et paulò pòſt. O quàm nunc odioſa veritas, o quàm Chriſtus vbiq; inviſus? Tu frater, quia Chriſtum prædicas, non homines, non à tuis modò, ſed etiam à noſtratibus quibuſdam hæreticus diceris. Et iterum. Ergò mi frater Martine, confortare in Domino, & eſto robuſtus venator pſeudoapoſtolorum. Chriſtus veritatis Dux & Magiſter in exemplum vendentes & ementes de templo eijcit, vt nos ſequamur veſtigia eius. Non tibi deerit auxilium deſuper. Sunt in Bohemia plurimi fideles Deo & chari, qui te nocteſq; dieſq; orationibus adiuuant. Et Frobenius typographus Baſilienſis

NB. Egregium elogium papiſtarum.

enſis ſic in epiſtola quadam ſcribit ad Lutherum. Cardinalis Sedunenſis, cum illi tuas lucubrationes obtuliſſemus; ſtatim dixit: Luther, tu verè es Luther. Huic nuper quidam Ecciĳ propoſitiones miſit, adĳciens ſe victoriæ nuncium, quam Eccius ſit Lipſiæ contra nouam doctrinam obtenturus, ſtatim allaturum. Cui reſpondit Cardinalis: Diſputet Eccius quantùm velit, Lutherus veritatem ſcribit.

Ibid. fol. 389. a.

Cum Legati pontificĳ vehementer accuſarent Lutherum, apud Carolum Imp. ferunt Cæſarem mox ex tempore, nullo conſulto reſpondiſſe: Audiamus anteà hac in re patrem noſtrum Fridericum Electorem, deinde pontifici reſpondebimus. Item: Si ſacrifici, ea qua par erat & perſonam ipſorum decebat, probitate eſſent præditi, nullo ipſis opus eſſet reformatore Luthero. Epiſcopus Saliſburgenſis Auguſtæ ad Philippum dixit. Ah quid fruſtrà clericorum reformationem inſtituitis, in nobis ſacrificis non eſt mica pietatis. Cum oratores pontificĳ, Marinus Caracciolus & Hieronymus Aleander pontificis nomine promitterent Eraſmo Roterodamo pinguiſsimum Epiſcopatum, ſi pro pontifice contra Lutherum ſcripturus eſſet, reſpondit Eraſmus: Maior eſt Lutherus, quàm vt in illum ſcribam ego: Maior eſt Lutherus, quam vt à me intelligatur: Planè Lutherus tantus eſt, vt plus erudiar & proficiam ex lectione vnius pagellæ Lutheranæ, quàm ex toto Thoma. Magiſtri noſtri Louanienſis Academiæ, Margaritæ Parmenſi conqueſti ſunt, Lutherum vniuerſam Rempub. chriſtianam ſuis ſcriptis euertere. Rogauit Herois,

Tom. 2. Ien. lat. fol. 333. b. Tom. 4. Martyr. fol. 49. a. Tom. 5. Ien. fol. 281. a.

Warnung an ſeine lieben Deudſchen.

Tom. 1. Ien. lat. fol. 333. b. Tom. 1. Ien germ. edit. prior. fol. 237. b.

Margarita parmenſis.

quem Lutherum dicerent? Illis reſpondentibus, indoctum eſſe monachum, retulit: Scribite vos multi docti aduerſus indoctum vnum, & procul dubio plus orbis crediturus eſt doctis multis, quàm indocto vni. Maximilianus Imp. cùm in comicijs Auguſtæ vltimùm à ſe celebratis, primùm videret themata Lutheri contra indulgentias edita, dixiſſe fertur: Certè Lutheri poſitiones non ſunt contemnendæ, videbitisq́ breui cum pontificijs ludos faciet nouos. Solimanus Turcarum Imperator, quæſiuit aliquandò ex legato Caroli V. quis nam eſſet Lutherus: is cum reſponderet: taxare eum idola pontificia, inuocationem hominum mortuorum, â quibus etiam Turci abhorrent, qui vnum tantùm Deum inuocant & colunt, conditorem cœli & terræ: dixit Solimanus: O ad quantam lucem tantus vir peruenit?

Maximilianus I. Imp.

Solimanus Turcarum Imp.

Sleidan. lib. 21. fol. 383.

De Petro Paulò Vergerio Epiſcopo Iuſtinopolitano ſcribit Sleidanus, quòd à pontificatu Romano mirabili quadã occaſione defecerit. Cum enim à colloquio VVormacienſi, quod fuit initio anni M. D. XLI. Romam vocatus redijſſet, pontifex creaturus nouos Cardinales ipſum quoq; deſignabat inter alios: erant autem qui clanculum inſuſurrarent illum multa iam conſuetudine Germanorum eſſe factum Lutheranum. Hoc vbi Vergerius ex Cardinali Ginucio cui pontifex dixerat, audiſſet, valdè fuit attonitus, & vt ſeſe purgaret, in patriam ſecedit, atq; librum orditur, cui titulum dedit, Aduerſus Apoſtatas Germaniæ. Dum autem confutandi cauſſa libros aduerſariorum diligenter excutit, & attentè conſiderat argumenta,

captum

captum ſeſe victumq́ ſentit, & abiecta ſpe Cardinalatus, ad fratrem ſuum germanum, Iohannem Baptiſtam, Polæ ciuitatis Epiſcopum abit, & re tota commemorata, conſilium exquirit. Frater initiò territus, conditionem hominis deplorat: ſed cum illius precibus inductus ad ſcripturæ perueſtigationem ſeſe adplicaſſet, inprimis autem illud doctrinæ caput, quod eſt de iuſtificatione, diligenter expendiſſet, facta ſententiarum collatione, cedit, & falſam eſſe doctrinam pontificiam iudicat. Hæc Sleidanus.

Maximilianus II. feliciſsimæ memoriæ, hanc *Maximilianus II. Imp.* pòſt ſe reliquit laudem nullis ſeculis intermorituram, quòd amplexus eſt Auguſtanam confeſsionem, & conſtanter confeſſus, non ſine periculo, perſecutione & tentatione, quòd doctrina Eccleſiarum noſtrarum ſit fundata in ſcriptis propheticis & Apoſtolicis, ſiue vt Paulus inquit, ſit analoga fidei, niſi quòd poſteà ad imperij faſtigium euectus fortè in pontificiorum gratiam remouit à ſe Pfauſerum concionatorem Euangelicum. *Rom. 12.* Multi præſtigijs Ieſuiticis ineſcati agnoſcentes demum & ſentientes quibus circumfuſi ſint tenebris, à Romana impietate deſciuerunt, vt vel vnicum exemplum Pauli Florenij Doctoris Theologi, & Chriſtiani Franci profeſſoris Viennæ in Cæſario Ieſuitarum Gymnaſio teſtatur, quorum in publico extat colloquium de ſceleribus Eccleſiæ Romanæ & Ieſuitarum ficta ſanctitate non olfacientibus ſtercora papæ per vim obtrudentium, & pro aromatis vendentium.

Colloquium Pauli Florenij & Chriſtiani Franci de Ieſuitarum religione Lipſiæ editum anno 1579.

4\. *Exitus hoſtium tragici.*

Quartò, quòd perſecutores Euangelĳ acerrimi quiq; exitus habuerint tragicos, quorum aliquot enumeranda ſunt exempla, ſi forte nonnulli ſpiritus blaſphemi hoc pacto ad pœnitentiam & impietatis ſuæ agnitionem iuſtum Dei iudicium intuentes reuocari & lucrifieri poſsint. Quemadmodum enim Deus Athanaſĳ hoſtes Arrianos ad extremum repreſsit & compeſcuit: ita & pleriſq; Lutheri aduerſarĳs colaphum impegit, & hoſtes Euangelĳ præcipitauit.

Tecelĳ interitus. Hier. VVell. ſuper Epiſt. 2. Petri fol. 189.

Sceleratiſsimus nebulo Tecelius, cum ſperaret ſe quàm diutiſsimè victurum, & doctrinam Lutheri recens exortam facilè oppreſsurum, in medio curſu dolore animi extinctus eſt, quo modo & multi Romani pontifices & horum coniurati, cum ſibi aureum ſeculum & annos Neſtoreos pollicerentur, ſubitanea morte ſunt oppreſsi.

Tom. 5. Ien. fol. 37. b. 38. a. Felix comes VVerdeberg.

Felix comes VVerdebergenſis acerrimus pontificiorum propugnator, & ſummus doctrinæ Lutheranæ hoſtis, ſe omnes neruos & facultates ſuas impenſurum promiſerat, ſi bellum Lutheranis indiceretur. Sed cum ſeſe vino apud quendam Abbatem ingurgitaſſet, manè in lecto extinctum inuenerunt.

Eccius, Tom 4. Ien. lat. in Hoſe. cap. 2. fol. 620. a. Tom. 4. in Gen. cap. 39. fol. 53. a. edit. Norib.

De Eccio ſcribit Lutherus, quòd circumuentus lethali morbo, mente captus, & de quater mille aureis ſolicitus, Epilepſia fuerit oppreſſus, linguæ vſum amiſerit, ſimul cum ſanguine animam euomens, & ita ſine agnitione & inuocatione Dei miſerabiliter perierit.

Colloq. Lutheri Theat. hiſtor. in 2. precep.

Refert idem Lutherus in colloquĳs, ex literis Adami Budiſsinæ, concionatorem quendam pontificiorum doctrinam amplexum & fulminantem è ſuggeſtu diris execrationibus aduerſus Lutherum, & vociferantem;

ferantem: Si doctrina Lutheri vera ſit, ſe optare, vt fulmine ictus pereat: pòſt interiectis aliquot diebus, antè aram in templo fulmine ictum concidiſſe, & cum per cæmiterium ſemianimis duceretur, ſecundò percuſſum, & iſto altero ictu extinctum. In miraculis Fincelij refertur hiſtoria de Sacerdote Forchemio, defendente errores papiſticos & miſſæ idolatriam contra verba Pauli de cœna Domini quæ enarrabat, quòd inter alia dixerit: Paule, Paule, ſi tua doctrina veritati conſentanea eſt, vſuſq; Sacramenti ſub vna ſpecie impius, precor vt arreptum me diabolus hinc auferat: Si papæ doctrina vera non eſt, Satanæ mancipium eſſe volo, meamq; ipſi animam oppignorabo. Nec mora, in templo auditum ſtrepitum & fragorem, & apparuiſſe virum proceræ ſtaturæ colore atro formidabilem, ipſumq; impium Sacerdotem abreptũ ſecum abſtuliſſe. Monachus Diuum Paulum pro concione mendacij arguens, in ſuggeſtu ſubitaneà morte eſt correptus. Hofmannus hoſtis veritatis Ratisbonam tendens, non procul ab Vlma dira deſperatione oppreſſus inter horrendos mugitus impiam efflauit animam. Graſſante in Germania ſudore Anglico, nouo morbi genere, quidam concionator è ſuggeſtu ad populum clamauit: puniri mundum nouis morbis, eò quòd nouam doctrinam nouamq; fidem ſuſcepiſſet: Veteri itaq; Romanæ Eccleſiæ adhærendum, eiq; fidelem obœdientiam præſtandam. Et indicta ſolenni proceſsione poſtridiè inſtituenda, improuiſa morte extinctus eſt, ita vt loco proceſsionis faciendæ fuerint exequiæ. Comes quidam impius audiens concini Lutheri pſalmum,

Ioh. Fincel. de miraculis, lib. 3.

Sudor Anglicus anno 1529.

Comes impius.

pſalmum, cuius initium: Arx firma noſter eſt Deus, & armatura fortis: Illud, inquit propugnaculum tormentis concutiam & deĳciam, vel non viuam. At tertio pòſt die eſt extinctus. Alphonſus fratrem ſuum Diaſium ab agnita veritate verborum blanditĳs abducere conatus, & pòſt perfidè eo occiſo, ipſemet in concilio Tridentino de collo muli ſeſe ſuſpendens miſeranda morte ex deſperatione interĳt. Creſcentius legatus pontificius, perterritus ſpectro nocturno, cane atro, inuſitatæ magnitudinis, flammantibus oculis, auribus ad terram propè demiſsis, ad ipſum rectà contendente, in morbum & deſperationem incidit, & moribundus ſuis acclamaſſe fertur, vt canem qui lectum conſcenderet arcerent. Latomus hæreticæ prauitatis inquiſitor, & perſecutor doctrinæ immaniſsimus, ſubita trepidatione ita eſt perculſus, vt in extremam abriperetur deſperationem, confeſsus ſe in Spiritum ſanctum peccaſſe, Diaboli & corpore & anima æternum eſſe mancipium, nec vllam ſibi vel in hac vita vel in æterna peccati ſui condonationem ſperandam. In agone adhortatus eſt amicos, vt ſuo exemplo edocti reſipiſcant & perſequendis fidelibus finem faciant, & tandem inter horrendos mugitus mortuus eſt, vbi ea oris totiuſq; corporis apparuit fœditas, vt omnibus eſſet terrori. Horrenda etiam eſt hiſtoria de Franciſci Spieræ deſperatione, quæ Pharaones pontificios induratos ad veritatis agnitionem pellicere debebat. Doctrinam veritatis, quam anteà palàm profeſſus erat, publicè damnatam reuocauit, quemadmodum etiam Fridericus Staphylus apoſtata & ſcurra

Alphonſus, anno 1551.

Sleidan. lib. 23. in fine.

Latomus.

Franciſci Spieræ deſperatio Sleid. lib. 21. Tom. 3. Martyr. fol. 206. Theatrum hiſt.

ſcurra leuiſsimus & alÿ cum ipſo, vnde ilicò horrendum Dei iudicium in corde ſuo & conſcientia perſenſit, & omnibus Spiritus ſancti donis priuatus eſt, Chriſtus ab ipſo diſceſsit, omnis conſolatio & fides ademta, vt de Saule teſtatur ſcriptura: Spiritus Dòmini receſsit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino. *fol. 100. in 2. precepto.* *1. Reg. 16.*

« Furÿs agitatus, & blaſphemia aduerſus Deum inflammatus per menſes ſex, ſubinde teſtatus eſt, ſe iuſto Dei iudicio damnatum, apud inferos iam morari, indeſinentibusq́ confici doloribus. Se enim in Spiritum ſanctum peccaſſe, quod peccatum in æternum ſibi condonari nequeat. Chriſti meritum Deiq́ miſericordiam in æternum ſibi negatam, & horrendum adeò vitæ ſuæ exitum ſibi ex iuſto Dei iudicio ideò irrogatum, vt ſuæ abnegationis cauſſa omnibus electis ſit exemplo. O ſi hoc vnico dono, inquit, me dignaretur Deus, vt vel modicum ſpei de miſericordia eius in corde meo perciperem. Sed id fieri tàm non eſt poſsibile, quàm impoſsibile, cochleari vaſtum mare exhaurire & ebibere. Hoc exploratum habeo, neminem vnquam in terris fuiſſe mortalium, qui iram Dei manifeſtius quàm ego ſenſerit. Item inquit: ad mortem æternam ego damnatus ſum, nec vlla redemtionis ſpes mihi poteſt eſſe reliqua. O ſi vel minimam in miſericordia Dei fiduciã vel ſpem collocare poſſem, & haud graue mihi futurum ſit, per multas annorum myriades (dum modò aliqua liberationis ſpes ſuperſit) in inferorum baratro torqueri; omnes in ſe conſolando oleum & operam perdere, miſericordiæ Dei ſpem ſibi adeò præciſam, vt facilius ſit »

grano

,, grano milij mundum contineri, quàm fide & gratia
,, Dei ſe donari.

Hæc de pœnis eorum qui in veritatem diuinam blaſphemi hac noſtra memoria extiterũt, copioſius nonnihil ideò recenſere volui. Primum, vt confirmarem pias mentes in doctrina Eccleſiarũ noſtrarum & oſtenderem, non impiam & Epicuri doctrinam, ſed immotam eſſe, diuinã & cœleſtem veritatem, & hanc blaſphemantes, Dei faciem conſpuere, blaſphemare nomen Dei ſanctum, peccatum in Spiritum ſanctum committere, nullis ſeculis expiandum, in omnem æternitatem non condonandũ.

Lu. 8. Qui habet aures audiendi audiat. Deinde vt commonefacerem omnes nobiſcum rectè ſentientes de dulciſsima conſolatione in verbo Dei propoſita, Eccleſiam ſeruari, hoſtes vt vt florentes, horribiliter etiam in hac vita puniri, & tandem interire.

Pſal. 94. Non repellet Dominus plebem ſuam, inquit Da-

Matth. 28. uid, & hæreditatem ſuam non derelinquet. Et Chriſtus Dominus noſter promittit: Ecce, ego vobiſcum ſum, vſq; ad conſummationem ſeculi. De Luthero diuinitus conſeruato ſcripſit quidam verſiculos.

Tetraſtichon de Luthero conſeruato.

Quæſitus toties, toties tibi Roma petitus,
En ego per Chriſtum viuo Lutherus adhuc.
Vna mihi ſpes eſt, qua non fraudabor Ieſus,
Hunc mihi dum teneã perfida Roma caue.

Tom. 2. Ien. lat. fol. 548. b. Et Lutherus ipſe ſcribit contra Regem Angliæ: Dogmata mea ſtabunt, & papa cadet, inuitis

omnibus

omnibus portis inferorum, & poteſtatibus aeris,& terræ & maris. Ipſi me prouocauerunt ad bellum, bellum igitur habebunt, pacem oblatam cōtemſerunt,pacem igitur non habebunt. Deus viderit,vter primò feſſus defecerit,Papa an Lutherus. Et vt deniq; admonerem hiſce enumeratis exemplis blaſphemos Papiſtas, inprimis ALBERTVM HVNGERVM Profeſſorem Theologum, & magnum illum Pontificem GREGORIVM de VALENTIA pro tempore Decanum facultatis Theologicæ in Academia Ingolſtadienſi, quòd peccatum maius & atrocius,quàm cœlum & terra capere poteſt, commiſerint, quòd ſanctam Trinitatem,Deum patrem, Filium eius Ieſum Chriſtū Dominum & Saluatorem noſtrum,& Spiritū ſanctum, ipſi & alij ipſorum eiuſdem farinæ complices conturbarint, & inexpiabili blaſphemia adfecerint,nō erubeſcentes ſcribere,Theologiam Lutheri,quæ tota in eo conſiſtit, quòd iuſtificemur & ſaluemur ſola miſericordia & gratia Dei,merito, obœdiētia,paſſione,ſanguine & morte Ieſu Chriſti,mundificante nos ab omni peccato,cum Epicurea doctrina cōuenire. Etſi autem ſcio,ſurdis me narrare fabulam, & impium cum in profundum venerit peccatorū contemnere,& acetum nitro infundere,qui cantat carmina cordi peſſimo, & parabolam in ore ſtultorum eſſe veluti ſi ſpina in manu temulenti naſcatur: admonendos tamen putaui pro meo modulo & virium tenuitate,de ſeuero,iuſto & horrendo Dei iudicio, aduerſus profanatores nominis ſui, de diris & vltricibus furijs in conſcientia aliquando euigilaturis, de pœnis temporalibus & æternis, inprimis

Albertus Hungerus.
Gregorius de Valentia.
1. Ioh. 1.
Prouerb. 18. 25.26.

O qui

qui blaſphemos errores non agnoſcunt, ſed pertinacíſsimè defendunt, & folia ficus ſatis lata conſuunt. Certè vt vt etiam tentet omnia blaſphemi huius ſcripti autor quæ ad colorandum & palliandum hæreſes pontificias apta ipſi videntur: tamen hæc ſumma & atrocia peccata cõmittit. Primum peccatum blaſphemiæ in ſacroſanctam Trinitatem æquè atq; Arrius, Cerinthus & alij. Deinde innocẽtes animas falſa & impia ſua doctrina ad inferos detrudit, lacerat & dilaniat hic lupus famelicus, miſeras ouiculas crudeliſsimè, paſcẽs ventrem quiſquilijs & ſiliquis pontificijs, repleturus aliquando ingluuiem ſuam ſulphure & igne æterno. Tertiò horrenda ſerit & excitat ſcandala in Eccleſia, & deriuat in ſe Væ &
Matth. 18. maledictionem Chriſti dicentis: Qui offenderit vnum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei, vt mola aſinaria ſuſpendatur in collo eius, & demergatur in profundum maris. Si oculis vt mente carent põtificij idolatræ & blaſphemi, perſpicillum ſuperimponant naſo, & penitius horrẽda impugnatæ veritatis exempla intueantur, reſipiſcant tempeſtiuè; Deus enim non irridetur.

VI. *Ab exitu Lutheri placido & tranquillo.* Poſtremò, vt manum de tabula tollam, ſextum adſertionis meæ locum ſumo ab exitu vitæ Lutheri placido & tranquillo, quem placidiſsimè in vera inuocatione & confeſsione Filij Dei, conſolationibus ſcripturæ dulciſsimis, commendato Spiritu ſuo in manus Dei Patris, ex hac vita emigraſſe, teſtatur Germania, teſtatur inclitus comitatus Mansfeldenſis, viri Dei patria, teſtantur Ducatus, vrbes, Academiæ, teſtantur ἀυτόπται fide digni, & qui hiſto-

riam

riam de ipſius obitu & ſepultura in templo arcis Vitebergæ facta luculenter & fideliter deſcripſerunt, quæ annis nunc circiter triginta ſeptem in publico typis edita extitit. Huius hiſtoriæ veritate refutatur mendacium illud Italicum & verè diabolicum, quod pontificij anno præcedente mortem Lutheri 1545. de obitu ipſius horrendo, ſpectris viſis & auditis circa tumulum ex literis legati cuiuſdam Chriſtianiſsimi Regis ſparſerunt. Finxerunt ſpiritus mendaces, Martinum Lutherum cum ex morbo decumberet, cœnæ Dominicæ vſum expetiuiſſe, eaq; accepta ilicò animam exhalaſſe. Paulò ante agonem rogaſſe, vt corpus ſuum exanime ſuperimponeretur altari, & pro Deo coleretur. Demiſſo in terram cadauere, & in tumulum repoſito, ſubitò exortum ſtrepitum & tumultum tantum, quaſi cœli & terræ machina corrueret. Reſpicientibus hominibus in cœlum apparuiſſe ſanctiſsimam hoſtiam Ieſu Chriſti quam indignus indignè acceperat. Die ſequenti apertum eſſe ſepulcrum Lutheri, ſed neq; ſandapilam, neque corpus, neq; carnem, neque oſſa, neque linteola reperta, ſulphureo fœtore circumſtantes vehementer offenſos. Ex hoc figmento apparet pontificiorum vaniſsima in mentiendo & calumniando vanitas, nec dubium eſt, quin huius autores iamdudum ſint confuſi. Scripſit de eo Epigramma quidam Poeta pius in hunc modum.

Tom. 5. Ien. fol. 383. b.

Tom. 8. Ien. fol. 206. a. b.

Papa quid ægroto ſua fata precare Luthero,
Nil melius viuat, ſeu moriatur, habes.
Is tua, dum viuit peſtis te adfligit & vrit:
Mors tua tunc certè, cum morietur, erit.

Iohā. Stigel.

Dura lues peſtis, ſed mors eſt durior illa:
Elige nunc, vtrum perfide Papa velis.

Ante mortem Lutherus expoſuit quaterdecies
Iohan. 8. aureum illud dictum Chriſti; Si quis ſermonē meum
ſeruauerit, mortem non videbit in æternum:
cum quo ſimul & calamum ſcriptorium depoſuit.
Nec tamen verentur Pontificij ſanctiſsimam eius
animulam ſatanæ tradere, hæreticum & ſchiſmaticum
To. 8. Ien. „ cum proclamare. Sed reſpondeo papaſtris cum Lu-
wider das „ thero, quòd illis non competat iudicium de hæreti-
Bapſtum „ cis facere, cum ſint Hermaphroditæ ſiue Androgy-
zu Rom. „ ni, nec oſtenderint hactenus contra nos hæreticos,
fol. 243. a. „ ſe viros eſſe, nec ſi ſunt mulieres, liceat illis loqui,
edit. 2. ſed tacere in Eccleſia. Deinde quòd Lutherus non
1. Cor. 14. ab ipſis, ſed ipſi potius à Luthero, & à ſemel agnita
veritate Euangelij turpiter defecerint, & dæmoniorum
doctrinam ſint amplexi. Deniq; quòd confeſsionem
Auguſtanam nunquam teſtimonijs ſcripturæ
refellere potuerint, ſed tantùm patrum &
conciliorum autoritate ſubuertere conentur. Verùm
enimuerò, vt opinor, hîc prætēdent aduerſarij,
certitudinem noſtræ doctrinæ ex hoc fundamento
exſtrui nullam poſſe, cum multi Pōtifices, Cardinales,
Epiſcopi, acerrimi & inuictiſsimi Eccleſiæ catholicæ
propugnatores, æquè atq; Lutherus, placido
mortis genere obierint. His reſpondeo: Tanta &
tàm atrocia Pontificiorum plærorumq; eſſe peccata,
vt corporalibus pœnis in hac vita ſatis puniri
nequeant, & Deum in æternos cruciatus ipſos poſt
hanc vitam conijcere velle, quos in inferno cum omnibus
diabolis & damnatis ſuſtinebunt, niſi in
Pſal. 17. hac vita veram egerint pœnitentiam. Portio eorum
in vita,

in vita, inquit Pſalmiſta, & ducunt in bonis dies ſuos. Fide peccati & mortis victrice carent, & ſimulant ſe contemtores mortis, & æternæ vitæ cupidos eſſe, verum dolus eſt in ſpiritu eorum.

Fuiſſe deniq; Lutherum virum magnum, θαυματουργοῦντα & vas Dei electum, ex mutationibus eius obitum ſecutis perſpicue colligi poteſt. Mortuo Ambroſio, Gotthi & Vandali vbiq; Italiam vaſtârunt. Mortuo Auguſtino, Vandali traiecerunt in Africam, & ſecuta eſt hæreſis Arriana. Mortuo Luthero exarſit bellum ſacrum, Hiſpanorum, Italorum, & Huſſarorum copiæ in Germaniam ſunt infuſæ, facta eſt inclinatio doctrinæ, ſurrexerunt falſi quidam fratres iniquitatis mercede conducti, qui cum aduerſariis veritatis colluſerunt, Diabolum in ſcenam reducere conati ſunt, & Sphingem Auguſtanam ſiue librum Interim, Papiſtis acceptatiſsimũ, & gratiſsimũ ſtabilientem totũ ferè Papatum, ex ſententiis diuerſis & contrariis compilauerunt. *Mutationes obitum Lutheri ſecutæ.*

Hæc de inuictiſsimo Heroe & Samſone Germanico Luthero noſtro, de vocatione & doctrina eius cœleſti & diuina, demoliente duas columnas Papæ, ſacrificium Miſſæ & vota monaſtica, ſiue vt Eraſmus dixit ad Fridericum Electorem, duo peccata committente, quòd abſtulit coronam Papæ, monachis ventrem, in veſtra præſentia, viri reuerendi, clariſsimi & doctiſsimi, adoleſcentes optimi, diſſerere volui, quibus mediocriter pro virium mearum tenuitate demõſtraſſe me exiſtimo, Lutherum non humano inſtinctu, ſed impulſu Spiritus ſancti Antichriſti regnum oppugnaſſe: nec docuiſſe philoſophiam Epicuri, quemadmodum Epicurus ille Bauaricus apertè mentitur: ſed verbum Dei ex ſinu *Epilogus.* *Duo peccata Lutheri.*

æterni patris allatum per Chriſtum, & in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis comprehenſum, purè, ſyncerè, & in eo ſolum Ieſum Chriſtum, non traditiones, non humana commenta profeſſum eſſe. Reſtat nunc hoc vnicum, vt tu ô ſtudioſa iuuentus, & tu ô inclita Germanica natio ex horto Epicuri exeas, lupum famelicum & rapacem agnoſcas, fugias lupanaria Romanæ meretricis, oſculeris non papæ pedes, ſed Filium Dei, audias hunc ſolum, ſalues animam tuam. Huic vnico Redemtori & Saluatori Domino noſtro Ieſu Chriſto, vos qui in hoc conſeſſu honeſtiſsimo mecum congregati eſtis, coronidis loco toto pectore gratias agite, quòd hoc vltimo mundi tempore ſpiritus impoſtores ac doctrinas dæmoniorum, ſingulari bonitate patefecerit, ex denſiſsimis tenebris Papatus, in quo nihil præter crepitacula pontificia, indulgentias, peregrinationes, miſſas, inuocationes ſanctorum mortuorum, & id genus ineptias audiuimus, ad clariſsimam Euangelij lucem nos reduxerit, & elegerit ab initio in ſalutem per ſanctificationem ſpiritus ac fidem veritatis. Et ardentibus votis orate Deum, vt clementer nos cuſtodiat à nugis pontificiorum, conſeruet lucem verbi, maneat nobiſcum in hac poſtrema mundi & periculoſa veſpera, & tandem ex hac miſeriarum valle triſti ac tenebricoſa, ad lætiſsimum portum vitæ æternæ nos traducat, cum omnibus ſanctis & electis, Amen.

Apoſtrophe ad nationem Germanicã. *Matth. 7.* *Pſal. 2.* *Matth. 17.* *Hier. 15.* *2. Theſſ. 2.*

DIXI.

Chriſtus Ieſus Pontifex ſummus papæ Epicuream doctrinam damnat inquiens: Qui non eſt mecum contra me eſt, & qui non colligit mecum diſpergit Lu. XI.

REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO D.M. ANTONIO PROBO, ISLEBII AD D. Nicol. Paſtori fideliſsimo, ore & calamo pro vltimi Germaniæ ELIÆ, LVTHERI gloria, contra Pontificios ſtrenuè dimicanti, amico colendo.

S. D.

Georgius Regebrandus Paſtor Creſſeltenſis.

NI quis amore gerat generoſi plena Lutheri
Pectora, niq; odio corda referta Papæ,
Hunc nec amore Dei dignum, nec honore bonorum
Mancipium ſæui dæmonis eſſe liquet.
Hic, ſua committens perituris nomina chartis,
Scripta negat vitæ perditus eſſe libro.
Cimmerijsq; cupit demens ſquallere tenebris,
Syderea caſſos ducere luce dies.
Spirat enim CHRISTVM ſincera mente Lutherus
Huncq; docet vitæ iuſticiæq; caput.
Doctrinæq; ſuæ cœleſtia ſemina quærens
Aurea directam monſtrat ad aſtra viam.
Munus ad hoc mirè ſancto impellente vocatus
Flamine, quo fœlix quicquid agebat erat,
Candida quò nigris, fictis quò ſana fugatis
Redderet, vt Sathanæ dogmata detegeret.
Vtq; Papæ triplicem proſterneret ore coronam,
Et Monachis ventrem traderet eſſe Deum.

Vtq;

Vtq́; animas horum truculento carcere merſas
Viuere perficeret, Chriſto & ouare ſuo.
Quod quo præſtiterit zelo, quàm numine fauſto
Omnia peruolitans climata, fama docet.
Fama docet mundi inſtabilis, rubriq́; Draconis
Magnanimum atroces nil reputaſſe minas,
Mente quoad læta, ſpeq́; ora beata ſerenans
Aſtrigero ſubijt ſtructa theatra polo,
Electis deſiderium ter ſuaue relinquens
Nominaq́; haud vllo diſperitura die.

At PAPA terrenis diuina ſtatuta lacunis
Tartaream fœdans in ſtyga pandit iter.
Cui ridere Deum eſt ſapientia, fabula verbum
Filius è ſupero quod tulit axe Dei.
Is licet ætbereæ claues ſibi vendicat arcis,
Et regit inuito ſana prophana Deo:
Attamen obſcurat patefacta oracula Chriſto,
Confiſos Chriſto cum dubitare iubet,
Et proprijs operum meritis, Diuosq́; colendo,
Se celſo incertos inſinuare polo,
Sic & honore Deum ſpolians animasq́; ſalute
Vi λόγου εὐαγγελίου ſaluificante λόγῳ.
Is totum ſancto prætextu decipit orbem,
Et pulchras mundi nil niſi captat opes.
Opprobrium cœli, terræ intolerabile pondus
Exitium innocui triſte nocénsq́; gregis,
Serpenti veteri prompte ſeruire laborans
Organon, inſtinctu cuius iniqua patrat,
Cuius diſtrahitur laxis agitatus habenis,
Turpe ratus ſacri Flaminis arte regi.

Suetus

Suetus inauditis incautam fallere turbam
Fraudibus, & Barathri præcipitare lacu.

Huius quod technas impoſturasq́; reuelans
Mille pia ſuades arte cauere dolos,
Et certa ingenui ritè aſſeris eſſe LVTHERI
Dogmata, diuinis eruta cuncta libris,
ANTONI Claria PROBE clare magiſter ab arte,
Propicijq́; idem Præco verende Dei,
Spernere te vani figmenta infanda Papatus,
Et fugere hunc odio conueniente notas.
Te colere eximij ſcripta, inclyta ſcripta, Lutheri
E cœlo zelo proueniente probas.
Acceptusq́; Deo fama celebrante mereris,
A memori & grata poſteritate vehi.
Macte Papæcidam calamo linguaq́; LVTHERVM
Tolle, nec indignum fer laniare SVES.

Sed vos ô ſtolidi Papaſelli, vertice raſa,
Fœtente vncta oleo, pectore cæca cohors,
Templa quibus ſubſunt Myſtarum nomine notis
Boiariæ, Italiæ, & quæ Papa cunq́; premit.
Quos tot diſtinctos ſectis iuuat eſſe nocentes,
Templa quot in veſtris vrbibus ampla patent,
Deſinite immani inſectari Marte Lutherum,
Ne grauis accenſi vos voret ira Dei.
Pectore quem fido eſt, fida quem voce profeſſus,
Ad cuius faciem mente Lutherus agit.
Diſcite iuſticiam moniti, Chriſtumq́; vereri,
Vos ſatis eſt docili iam caruiſſe metu.
Scribitis impuri ſponſo diuortia Chriſto,
Quodlibet audentes abſq́; pudore nefas.

Diligitis ſpurci turpiſsima ſcorta Cynædi
Et ſobolem philtro tollitis atq; manu.
Sacrifici geſtus caſtos ſimulatis: at omne
Fucata tegitis religione ſcelus.
Sed ſcelus id capiens Plutonis præmia regnum
Ante reos æquum vos aget eſſe Deum.
Cùm qui iam temerè ſparſi luſtralibus vndis
Mundari Chriſti ſanguine negligitis.
Omnia conſpicuo pollutos crimine membra
Styx poterit nulla purificare vice.
Tunc (qui ſanctorum bibitis ſine fine cruorem
Vtq; lupi Chriſti dilaceratis oues,
Efferaq; effrenes meditati bella Tyranni
Diripitis gnato corda redempta Dei.
Funera funeribus cumulantes, fluminis inſtar
Vt ſacer imbuta ſanguis inundet humo)
Membra trahetis ibi fluido liuentia tabo
Tartareo pridem præda voranda cani.
Tunc (quibus eſt media ſubuertere pocula nocte
Ebria, delicias inq; vacare labor,
Ingluuiemq; ſequi pinguiq; abdomine ventrem
Tendere, mollicie deſidiaq; trahi)
Lucifugæ macie languebitis, arida vobis
Guttura pix vret ſulphureiq; lacus.
Intima conſumet laſciuas flamma medullas:
Nunquam tranquillos triſtis Erynnis aget.
Tunc, qui ventricolæ lucris inhiatis auari,
Et prono petitis pectore diuitias,
Iri pauperior perimet ſors ſorte grauatos,
Nec ſinet illecebris luxuriaq; trahi.
Qui iam ridetis, tunc flebitis, aſpera paſſi
Tormina, inexhauſtis mæſtitiamq; modis.

Humida

Humida perpetuis ſtillabunt lumina guttis
Et nihil anxietas dulce ſuprema dabit.
Tunc, quibus hic blandæ quærentibus ocia vitæ
Diſplicuit ſocij cura moleſta thori,
Cura dolorq́; illic diſtendet & horridus error
Hinc inde implicitos in mala mille feret.
Conſcia mens ſcelerum nunquam furibunda quieſcet:
Nec ſtatuet cladi noxue dieſue modum.
Vincti illic rigida decumbite compede: quando
Hic dura arriſit libera vita cruce.
Non vos imperium, non arma ferocia regum
Eripient tantis, Bulla nec empta, malis.
Nec poterunt veſtræ precium perſoluere vires
Quod ſuperans culpam vos phlegethonte leuet.
Hic vt ſuſcipitis fruſtra placare Tonantem
Huius & exactum iudicium effugere,
Dum veluti tauri reſona clamatis in æde
Vincentes Cacum voce boante ferum,
Et Mariam, ac ſanctos venerati idola vocatis,
Lenior hinc reddi ſi Deus ipſe queat:
Sic ibi non dabitur clamore obtundere fauces
Cerbereas, crucient quò rea corda minus.
Quiſquis enim Chriſtum veſanus non amat, huius
Aut deſperauit de bonitate Patris
Et præſtanda Deo, rebus præſtare creatis
Interdicta auſus conditione fuit.
Hunc fas flammiuomo fumantibus igne caminis
Atq; Acherontæi vi periiſſe Lupi eſt.
Sed prius enumerem, quot apes paſcantur in Hybla,
Quot pariat fuluos terra Ciliſſa crocos,
Littore quot tenues Lybico voluantur arenæ,
Quot piſces æquor, gramina gignat humus,

Quam tibi dinumerem tolerandas perpete pœnas
Tempore, degeneri dedita turba Papæ.
Si non abijciens odium crudele LVTHERI,
Deuotæ Chriſtum mentis amore colas.
Quem, quia non nouit mundus, monſtrare LVTHERVS
Debuit eſſe vnam clara ſub aſtra viam,
Quo patris æterni nobis reſerata voluntas
Auſpice ſecuris donat inire polum.
Nunc oculis ſanè quaſi conniuentibus ille
Aſpicit Auſonij crimina tetra Papæ:
Neſcius at falli dextra peſſundabit vltor
Vindice tunc, dirum qui timuere Papam,
Et deflectentes à recto tramite veri
Offendiſſe animum non timuere Dei.
Longanimis differre ſolet iuſtam Deus iram,
Compenſat pœnæ ſed grauitate moram.

Tu porrò ANTONI PROBE nomine reꝗ; LVTHERI,
Vt decet, inuicto Marte tuere decus.
Perge Heroa Papæ contra defendere lixas,
Perge Papæ contra ſtringere monſtra ſtylum
Sic tibi continget vita ſupereſſe peracta
Dum ſtabili viuax laude LVTHERVS erit.
Sic comes in cælo potes ad latus ire Lutheri,
Lætari intuitu colloquioꝗ; viri.
Gratia ſed ſummi faxit Patris alma, Papiſtas
Innumeros reddas vt probus ipſe probos.
Cernere quos tecum communia carpere quondam
Gaudia perpetuò continuanda queas.
Scilicet huc neruis, huc omnibus vſꝗ; labores
Vt iuuet, vt pigeat, recta, maligna ſequi.

CHRI

CHRISTE pares pietate pares virtute LVTHERO
Doctores verbi daq́; foueq́; tui.
Relligio tanget noſtros ita pura nepotes
Reſtabitq́; vago cultus in orbe tui.
Sterne Papam, teneroq́; ab ouili pelle SVITAS
Hoſtes Chriſte tui perniciemq́; gregis.
Ne paſſim elati blaſphemo gutture clament
Te populum cura, deſtituiſſe tuum.
Sed nos hic nomenq́; tuum laudesq́; canamus
Angelicosq́; illic turba imitata choros.

IN ORATIONEM ANTI-papalem eiuſdem.

QVæ tibi magnanimum Manſfeltia clara Lutherum
Eripiet manibus vis truculenta tuis?
Quis furor? & Papæ quæ, quanta, licentia, veri
Aut mala conſpicuum lumen obumbret Erys?
Aduerſas inbibet felix Germania fraudes,
Pendet ab auxilio fortior illa Dei.
Commodat ingenium doctorum copia ſanctum
Efficiens media viuere morte virum.
Ergò quid vlterius metuas, licet ilia rumpat
Lucifer Auſonia Papa tremendus humo.
Millia Chriſtiadum ſeu mille potentibus auſis,
Enſe, rota, ponto, funibus, igne necet.
Non pius hoc crudele nefas IOVA mittet inultum,
Penſabit ſtygio facta ſed iſta lacu.
Marte laceſſat humum, vel conglomeramine cingat
Belligero muros Teutonis ora tuos.
Viribus exuperans hunc noſtra ſed Argo triumphat,
Dum petit hoſtiles numine ducta manus.

Atq; vbi nulla viam reperit truculentia ferri
Et locus ipſius fraudibus omnis abeſt.
In ſua vulnifica conuerſus viſcera dextra
Arbitrio verbum ſubijcit omne ſuo.
Auget ouans, corrumpit ouans, mel dulce veneno
Inficit, ex clara nubila luce facit.
Et ne tardet opus mora, nec quid linquat inauſum.
Plutonis ſocios ex Acheronte vocat.
Nomina qui iactant Chriſto contraria Ieſu.
Et ſatana faciunt auſpice patris opus.
Impia magnanimum proſcindit turba Lutherum,
Fraudibus hoc referens omnia plena viro.
Hinc docuiſſe nihil quod non Epicurus adoret,
Et tacita ſapiat fraude ſophiſma nouum.
Vtq; hoc incautum moueat condmine vulgus
Et ſint delicijs cuncta repleta ſuis.
Pars melior tamen, & lucis ſapientia veri
Quam penes & ratio purior atq; fides.
Luthero ſummum veræ pietatis honorem,
Sed tenebras Papæ, vimq; dolosq; refert.
,, Lutherus Chriſtum, fiſcum Papa cepit, & ipſi
,, Gloria mundani quæritur imperij.
,, Biblia Lutherus ſacra, Papa Legenda volutat,
,, Hicq; coli ſtatuas præcipit, ille Deum.
,, Coniugium Chriſtus, ſpurcos Papa cæcus amores
,, Inſtituit, Miſſam Papa, ſed ille preces.
,, Lutherum fidei vigor, hunc circumuolat error,
,, Hic docet inſtinctu dæmonis, ille Dei.
,, Omnia quid referam? nil non crudele Papatus,
,, Et nil non dignum laude Lutherus agit.
Hæc eadem multis tua verba diſerta pagellis
ANTONI coràm docte Magiſter habent.

Tu

Tu fidei ſanctum defendis amore Lutherum,
Dogma Papæ tetrum ceu tibi ſtercus olet.
Id facis inſtinctu ſuperum, nam gloria mundi,
Curæ nulla tibi, cura ſed vna, Deus.
Pontificum ne cede dolis, audentior ito
Contrà, nec ſatanæ commoueare minis.
Chriſtus robur erit, lucrum Ioua, gloria cælum,
Quæ venit à Chriſto gloria, vera venit.
Non tibi maior erit merces, non gloria maior,
Laus odiſſe Papam maxima, noſſe Deum.
Semper honos, pietas tua, ſemper fama vigebit,
Laudis & æternæ diſtichon illud erit.
Dicet poſteritas his rectè edocta pagellis
Spiritus ô quantus ſancte Luthere tuus?

Samuelis Latochij ſecundi
Brigenſis Sileſij.

Notatio ęrratorum typographicorum.

A 4.fa.1.in Ep.nuncup.lin.25.lege ſuſtinebunt.
Ibid. lin. 28. βλασφημιῶν.
B 1. fa. 2. lin.1. vllius.
B 2.fa.2.lin.4.probaſſe.
C 2.fa.2.lin.10.animas.
C 4.fa.1.lin.21.ſimulatione.
E 2. fa.2.lin.21. id ipſum.
E 3.fa.1.lin.8.& 6.perſpicuè.
F 4. fa.1.lin.27.reſtinguat.
H 4.a. lin.23. Transfert.
H 4.b. lin.25.26.liberet.
I 1.a.lin.21. abominationum.
I 2.a.lin.7. IANFRIDERICE.
I 3.a.lin. 15. Gryphis.
K 1.a.lin.23.infracto.
L 2. b.lin.2. blaſphema.